
778/B

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30500266


De
Non differenda
Secundinarum adhærentium
Extractione
GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE LIPS.
Indultu
Praeside
Dn. D. Jo. Caſparo Küchlero
Fac. Med. Aſſeſſ. et Coll. Princ. min. Collegiato
Lipsiae d. 23. Decembr. 1735.
Pro
Gradu Doctoris
diſſerit
Jo. Valentin Harttramfft, Lips.
Med. Bacc. Civit. Lips. Medic. Obstetricius.
Ne agricola quidem aut gubernator
diſputatione sed usu fit Aur.
Corn. Cels.
Ex Officina Langenhemiana.
...t del.
Krügner ſc.

308640.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRIS

MAGNIFICIS

EXCELLENTISSIMIS

CONSVLTISSIMIS

PRVDENTISSIMIS

GRAVISSIMIS

PROSAPIAE. NOBILITATE

VIRTVTVM. CLARITATE

IN. REM. PVBLICAM

MERITORVM. PONDERE


CONSPICVIS

CONSVLIBVS
PRO-CONSVLIBVS
PRAETORIBVS
TOTIQVE
SENATORIO ORDINI
URBIS LIPSIAE

QVORVM. PRVDENTIA. SALVTEM
PVBLICAM. TVETVR
AMOR
CIVIVM. COMMODIS. AC. OPPORTVNITATIBVS
PROSPICIT
IN
GRATI. ANIMI. MONVMENTVM
PROPTER
PLVRA. IN. SE. COLLATA. BENEFICIA
TRADITAMQVE. PVBLICAM
PVERPERARVM. NASCENTIVMQVE
CVRAM

HAS. MEDITATIONES
EX. MVNERE
SIBI. DELATO. ENATAS
DEVOTA. MENTE
D. D. D.

DISPVTATIONIS AUTOR
IOAN. VALENT. HARTTRAMFFT
LIPSIENSIS



§. I.

Inſtituti ratio.

In portu naufragia fieri et ſummum quandoque rerum diſcrimen incurrere in ipſo operis fine eos, qui rem peractam autumant ubi coronis impoſita nondum fuit, quotidiana experientia loquitur. Cum primis id fati genus experiuntur, qui curam uteri hominisque naſcentis ſuſcipiunt, obſtetricantes Medici, utpote qui, foetu in lucem edito, propitia etiam Lucina, probe norunt, totius partus negotium abſolutum tunc nondum eſſe, quin potius non leuem oboriri difficultatem, reſtitantibus ſecundinis, perſentiſcunt, quo ipſo verum eſſe cognoſcunt Philoſophi effatum:

Ἀι δευτέραι πως φροντίδες σοφώτεραι.

Secundae meditationes ſapientiores. a) Idem et ego ſenſi, ex quo difficillimum artis obſtetriciae campum ingreſſus ſum, magnamque ſemper habui habeboque magiſtris meis, inprimis vero Argentoratenſi, gratiam, qui me attentum fecerunt ad ea, quae, edito partu, cum matre, maxime quod ſecundinas attinet, fieri adſueuerunt. Maiori rerum uſu, cum practicam vitam agerem, edoctus ſum, cum omnia tranquilla eſſe putarentur, gratulationes de felici enixu matrum haud raro in lamentationes verſas fuiſſe, ob ſuperuenientia, remanentibus ſecundinis, grauia et lethalia quandoque ſymptomata. Hanc difficultatem ſine dubio antiqui nouerant, quibus felix ſecundinarum extractio tanti momenti viſa eſt, vt Deam partus poſterioris praeſidem conderent, Genetam appellatam, prout autor eſt PLVTARCHVS: b)

Δαίμον ἐςὶ ἡ γενεῖτα περὶ τὰς γενέσεις
καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν.

nec ultimo inter Deas partuum, Hecaten, Genethyllin, Proſam, Poſtuerſam, Lucinam, Iunonem aliasque loco habitam. c) Quapropter non tantum obſtetrices meae inſtructioni traditas de rei iſtius dignitate deque manifeſto vitae matris periculo monui, ſed et me adeo exercitatum in arte nunquam credidi, ut non nouas ſubinde ediſcendi occaſiones ex hoc capite habuerim. Maxime vero haud ſemel edoctus fui,

a) EVRIP. Hippol. Cor. v. 436. ex Edit. Barneſii Cantabrig. 1694. Fol. p. 233.

b) PLVTARCHVS in Quaeſtion. Roman. Oper. Tom. 2. Edit. Wechel. 1620. Fol. p. 277.

c) Conf. THOMAM BARTHOLINVM antiquitatum veteris puerperii ſynopſi. Amſtelaedam. 1676. 12.

fui, ſecundinas fortius, quam fieri ſolet, adhaerentes maiorem operam et laboris diuturnitatem feciſſe, quam difficiliores quidam ſituum embryonis prauorum caſus. Obſeruationum, quas hocce in negotio inſtitui, nobilitas me induxit, ut hanc materiam publice pertractandam ſuſciperem. Equidem magnifice de me nunquam ſentio facileque perſpicio, quemcunque alium elegantius ſpeculari, dicere et commentari de hac materia poſſe, non inutilia tamen aut incongrua prorſus me allaturum, confido, memor regulae, quam apud exercitatum in arte mea Celeberr. PEV d) inuenio: *Autorem, qui de re obſtetricia ſcribere ſuſcipit, ex propria experientia loqui decet nec ſecundum autorum opiniones.*

§. II.

Ordo tractandorum.

Sponte adeoque ex praedictis innoteſcere arbitror, ſpecialius eſſe iſtud, quod pertractandum ſuſcepi rei obſtetriciae momentum, nec conſiderationem iſtam eandem cum retentionis ſecundinarum declaratione futuram, quandoquidem perinde non eſt, utrum retineantur, an vero fortiter adhaereant ſecundinae. Probe noui de retentione ſecundinarum iam ante me actum eſſe a plurimis, e) verum me non

d) Quand un Auteur ecrit des accouchemens, il en doit parler par raport a ſa propre experience et non pas ſelon les opinions d'Auteurs etc. La Pratique des Accouchemens par Monſ. PEV Pariſ. 1694. 8. Lib. I. §. 20. p. 211.

e) Catalogum Autorum qui de retentis ſecundinis earundemque noxis egerunt recenſet, MATTH. MORONVS. Directorium Med. Pract. Francof. ad Moenum 1663. 4. p. 407. Celebriores diſſertationes de eadem materia, quantum earum videre mihi hactenus licuit, ſunt. Diſſertatio aegram retentione

tione

non latet, vulgatiores plerumque retentarum ſecundinarum cauſas allegari, prout ſunt, clauſura orificii uteri interni a neglecta eius cura, funiculus umbilicalis in uterum relabens, quod ne fieret, ridiculam habent nonnulli chordae cruri parturientis alligandae conſuetudinem. f) Legimus hinc inde de enormi placentarum magnitudine, aut contingente inter duas quandoque in gemellis coalitu; Plura dicuntur de remanente ſecundinarum particula vel membranarum portione, deque ancipiti rerum ſtatu, in quo tunc puerperae verſantur. De prudenti manuum opera, tot tantaque iam proſtant in obſtetriciae artis libris, ut, quamuis etiam de hoc negotio quaedam noua afferri poſſint, parum tamen mihi addendum videatur. Verum quilibet mecum ſentiet, illam retentionis ſpeciem, quae adhaeſio dicitur, curatiori paulo indagine dignam eſſe, utpote de qua plurimi omnino nihil, pauciores parum et inſufficienter ſcripſerunt. Credideram Cl. DEVENTERIVM, g) quem caeteroquin inter obſtetricantes medicos principem facile arbitror et quem minutiarum etiam ſtudioſum fere ſemper deprehendas, lumen mihi accenſurum fuiſſe, verum obſcurius et vix tribus verbis adhaeſionem ſecundinarum attigiſſe eundem comperi, reliquos omnes ſimplici retentionis titulo

hancce

tione ſecundinarum laborantem ſiſtens, Praeſide Ioh. Hadrian. Sleuogt. Reſp. Chriſt. Erneſt. Seyffartho, Ien. 1704. De ſecundinarum poſt partum excernendarum retentione MARTINVS HVRTE, Altorff 1672.

f) Mos ille fuit antiquorum, prout videndum ex ALBVCASI de affect. mulier. c. 78. apud ISRAEL SPACHIVM GYNAECIORVM Libr. Argentin. 1597. Fol. p. 447. AVICENNA Lib. 3. Fen. 21. Tract. 2. c. 16. Baſil. 1556. Fol. p. 720.

g) HENRIC. A DEVENTER Nouum Lumen Obſtetric. Lugd. Batau. 1725. 4. P. I. p. 129. 130.

hancce dignam peculiari recenſione circumſtantiam allegaſſe noui. Oppido raram hanc appellat SIEGEMVNDIN h) ac plerumque lethalem, et ſi poſt alios de meo quidpiam addere licet, retentas ſecundinas plures, adhaerentes pauciores habui. Uſus ſum recepto termino adhaeſionis, quo firmitatem et nexum placentae uterique inter ſe denotare autores ſolent, prout apud HARVAEVM i) inuenitur adhaeſionis et connaſcentiae notio ſynonymice uſurpata ſenſu tamen prorſus phyſiologico. Hoc eſt illud ſtadium, in quo decurrere decreui, et ſicut theoriae praxeosque inſeparabilis debet eſſe nexus, ita duo agenda mihi videntur capita, alterum varios adhaerentis ſecundinae modos, alterum cautelas practicas rationali methodo ſuperſtructas comprehendet. Unicus mihi erit ſcopus et primaria intentio, a qua pio prudentique medico recedendum nunquam eſſe arbitror, unica quam ſemper mihi praefixam habui meta, regia via unica et una omni exceptione maior regula: *Non differenda eſt, quam fortiter etiam adhaereant, ſecundinarum extractio, nihilque in ambigua iſthac re vel expectationi medicae, vel ſpontaneo naturae operi, vel caſui fortuito tribuendum.*

§. III.

Adhaeſionis ſecundinarum definitio.

Priusquam autem ad uberiorem rei declarationem perueniamus, formanda erit totius tractationis breuis et ſuccincta explicatio. Definiamus ſcilicet adhaeſionem et ſi quid in onomatologia monendum eſt, addamus. Adhaeſio ſecun-

h) IVSTIN. SIEGEMVNDIN *Brandenb. Hof-Wehe-Mutter, Berlin* 1723. 4to. p. 257.

i) GVILIELMI HARVAEI Exercitat. de Generatione animalium, Lond. 1651. 4to p. 284.

ſecundinarum nobis eſt ſtatus praeternaturalis placentae uterinae et quandoque membranae chorion, quo vel una, vel altera, vel utraque ſimul cauitati uterinae arctius nectitur et ob varias cauſas proximas aeque ac procatarcticas ab eadem nec ſponte, nec leuiori obſtetricantium conatu abſcedit, varia habens vel concomitantia plus minusue grauia ſymptomata vel proxime ſubſequentia mala, quae matrem, edito foetu, affligunt. Vi exhibitae huius definitionis, quae paulo poſt dicenda ſunt in compendium quidem colligere tentauimus, per ſe autem innoteſcit, de adhaeſione ſecundinarum, antequam in lucem editus embryo fuerit, cogitandum non eſſe, multo minus de earum ſolutione inſtituenda. Datur caſus haerentis ante orificium uteri internum ſecundinae, quae partum ipſum, quo minus fieri poſſit, impedit, hocque ipſo videtur ſtabilita eſſe oborta quandoque neceſſitas ſecundinarum ante partum in ſtatu adhaeſionis obſeruandarum; Scilicet quotiescunque, prout certus et determinatus ſedis ſecundinarum in utero locus nullus eſt, ouulum maternum ſeſe iuxta ipſum uteri orificium internum k) agglutinat, toties, ſubſequente

k) Deprehenſa fuere ouulorum ſimulacra circa ceruicem uteri ad mentem D. MARTIN NABOTH Diſſert. de ſterilitate, Lipſ. 1707. §. 13. ſeq. quae ſi ouula vera eſſent, difficilis quaeſtio non foret, qua fiat ut placenta, quae ouuli pars eſt, orificio interno uteri accreta deprehendatur. Verum ſicut iſta ſententia ſuos patronos non inuenit, Conf. MICH. ERNEST. ETTMULLERI epiſtolam problem. ad FRED. RUYSCHIVM de ouario nouo Amſtelaedam. 1715. 4to, ſic deſcenſum ouuli per tubas fallopianas malumus ad mentem recentiorum definire, eiusdemque arbitrariam adhaeſionem deducere ex motu quodam fibrarum motricium ſiue muſculorum uteri iuxta mentem Cl. HERM. BOERHAVII Inſtit. Med. Lugd.

MIVS x) exponit placentarum vaſa in ſeſe alternatim mutuo inſerantur. Utroque in caſu, quem tamen inter rariores eſſe arbitror, ſeparationem placentarum difficilem fore facile iudicandum. Aduertendus etiam eſt animus ad varios immobilitatis gradus, qua ſecundinae ſedem ſuam tenacius ſeruant, quandoquidem ipſa obſtetricantis manus in eo haud leue artificium collocatum eſſe perſentiſcit, ſi reſiſtentes placentas, prout hunc vel illum quietis ſuae gradum ſeruauerint, ingenioſe, durius molliusue, prout res poſtulauerit, tractet. Intime counatas ſecundinas, nam connaſcentiae termino iam uſum fuiſſe HARVAEVM y) intelligo, equidem in praxi nunquam habui, magnaeque felicitatis loco reputabo, ſi nunquam habuero, id tamen ſalua aliorum in arte magis exercitatorum ſententia, ſaluiſque, quarum poſſibilitas neganda non eſt, obſeruationum auctoritatibus, pro certo aeſtimo, praua obſtetricum enchyreſi, neglecto et peſſumdato tempore, quo attingendae erant ſecundinae, praecipitantia etiam et ignorantia earundem, fieri, quod coalitae quaepiam cum uteri fundo ſecundinae, cum non ſint, perhibeantur. Reliqui gradus firmitatis tactu potius explorari quam intelligi poterunt.

§. V.

De relatione mutua ſuperficierum placentae et cauitatis uteri.

Dictum iam fuit alibi, formalitatem adhaeſionis placentae conſiſtere in ſuperficierum duarum, quae ſeſe ſine interueniente ſpatio tangunt, combinatione. Iam cum ob-

x) Diſquiſitio Anatomica de Formato Foetu a GVALTERO NEEDHAM, Lond. 1667. 8uo. p. 34.

y) l. c. p. 284.

ſtetricantem deceat ſollicitum eſſe integritatis partium quarum curam ſuſcepit conſeruandae, merito ſuboritur quaeſtio: quales ſint iſtius in uterina cauitate loci, cui placenta adhaeret, affectiones, quaque ratione concaua eius ſuperficies poſſit conuexum placentae hemiſphaerium ita ſuſcipere, ut non tantum durante geſtationis tempore nexus utriusque perſiſtat, ſed et aliquo poſt partum ſpatio continuetur, et quid demum ſit iſtud, quo vel uteri ipſius ſeſe contrahentis et remotionem ſecundinarum tentantis, vel adiuuantis manus officium eluditur. Res clara eſt, modus ſuis difficultatibus laborat. Qui negotium deſumptis ex mechanica terminis declarare ſuſcipiunt, firmitatem ſecundinae fortius adhaerentis illuſtrare ſatagunt ex doctrina hemiſphaeriorum planorum ſibi apte incumbentium, vel concaui aut conuexi z) ſe proxime attingentis, cui ſententiae non leue robur addere videtur, rara omnino ſed et veritati conſentanea obſeruatio: fortiſſimum eo tempore placentae et cauitatis uterinae nexum eſſe, quando funiculus umbilicalis in centrica placentae parte eſt collocatus, id quod Praeceptor omni pietate deuenerandus SCHACHERVS in diſſertatione a) de placentae uteri morbis, ubertim declarauit. Sicut enim verticaliter diſtracta hemiſphaeria nullo robore a ſe inuicem ſecedunt, ſic, niſi obliquitatem quampiam in ſitu ſuo ſeruauerit funiculus umbilicalis, remoueri placide ſecundina vix ac ne vix quidem poterit. Nulla ſupereſſet dubitandi ratio negotium praedicto modo declarari poſſe, dummodo plana

z) FREDERICI RUYSCHII Aduerſariorum Anatomico-Medico Chirurgicarum Dec. 2. Amſtel. 1720. 4. p. 30.

a) D. GOTTLIEB POLYCARPVS SCHACHERVS de Placentae uterinae morbis Reſp. Dn. Chriſtian. Iacob. Seylero, Practico apud Lipſienſes feliciſſimo Patrono magnopere colendo, Lipſ. 1709. 4. §. 7.

plana vel conuexitatis placentae vel concauitatis uterinae eſſet conformatio. Equidem probe noui, obſeruationibus auctorum ſatis ſuperque id confirmantibus, b) haud raro fundum uteri, ſi ex diametro in auerſam partem trahatur placenta, euerti, eiusque partem vel integrum etiam orificii interni aeque ac externi limites egredi, id quod praedictam de planis huc adplicandam doctrinam ſtabilire videtur; verum, ſicut a legibus motuum et circuli humorum recedendum temere non eſt phyſiologo aeque ac practico in declarandis morborum aetiologiis, ſic conſtanter aſſero, nudam appoſitionem cum excluſione ſpatii ex doctrina de vacuo non ſufficere, quo appareat modus adhaerentium ſecundinarum. Clarius id futurum arbitror, ſi meditari quaepiam de figura, quam placenta et uteri cauitas inuicem ſeruant, voluerimus. Uterus, ſicut in ſtatu vacuitatis ſuae interiorem ſuperficiem rugis lineisque aſperioribus diſtinctam inprimis in ceruice habet, c) ita, ſi plenus fuerit, de hac interiore ſui aſperitate non tantum nihil dimittit, ſed auctiorem potius obtinet inaequalitatem, eousque, ut tuberculis obſitus undique deprehendatur intus, cuius uteri conditionis rationem exhibet elegante adpoſito Icone ABRAH. VATERVS de utero grauido diſſertatione. d) Huic inaequalitati ſuis eminentiis ex diametro opponitur iisdemque ſeſe appoſite inſinuat placentae conuexitas, cuius ſegmenta lineis interdiſtincta membranaceis maioribus aeque ac minoribus tuberculis aſpera efficiuntur, mutuaque ſuſceptione cum uteri parietibus coniunguntur, qui nexus mutuae

b) PIERR. AMAND. l. c. obſ. 40. p. 160. DIONIS l. c. p. 221. 222. aliique paſſim practici.

c) REGNER. de GRAAF Oper. omn. Amſtel. 8uo. c. 8. p. 186.

d) Wittebergae, 1725. 4.

mutuae immerſionis pro phaenomeno adhaerentium praeter naturam ſecundinarum declarando ex parte ſufficit. Quodſi iſtius placentae conuexitas irregularem indepta ſit figuram, qualium plures adducuntur a PEV, e) fieri ſane aliter non poterit, quam ut maior iuſto firmitas ſecundinis adhaerentibus concilietur. Spectant huc ſuo modo informes quaepiam placentarum figurae, quas *ſuggers* ſeu ſuctrices appellant Belgae, de quibus KERKRINGIVS eleganter commentatus eſt, f) quarumque deformitas molarum nomen iisdem conciliauit. Harum funeſta adhaeſio et monſtroſum in utero incrementum foeminas plerumque in vitae diſcrimen adduxit. Equidem mitior videri poterat nec inſuperabilis iſte adhaerendi modus, verum non leuioris difficultatis rem eſſe ſeparationem eiusmodi utero immerſarum ſecundinarum, praxis declarat.

§. VI.
De membranacea ſecundinarum cum parietibus uteri adhaeſione.

Maior ſecundinis in ſede ſua firmitas maiorque reniſus conciliatur ex earundem cum uteri parietibus ſynimenoſi, quotiescunque ſcilicet, quae extima eſt tunicarum, chorion, eo in loco, ubi ex peripheria placentae circuli in modum enaſcitur, ſubſtantiam etiam uteri ſimul attingit, eandemque ſecum coniunctiſſimam efficit, cuius rei ratio ex mente eorum, qui ſecundinas pro ouuli materni cruſta agnoſcunt, reddi poteſt, ob peculiarem chorii ſtructuram, cuius productum eſt placenta docente GRAAFIO. g) Rei veritatem

e) l. c. Lib. 1. c. 4. p. 36.

f) THEOD. KERKRINGII Spicilegium Anatomicum ext. c. Op. Omn. Anatom. Lugd. Batau. 1717. 4to. Obſeru. 38. p. 81.

g) l. c. c. XV. p. 282.

te eius incremento viam partus praecludit, imo nullam aperturam, qua vel embryo explorari, vel eius exitus adiuuari poſſit, relinquit: qui rerum ſtatus eo periculoſior mihi ſemper viſus eſt, quo imponere magis imperitioribus ſolet, qui eo tempore neſciunt, an membranas aqua turgidas, an partem quamcunque aliam foetus obuiam habeant; Verum ſicut in hoc phaenomeno rariori ſecundinae naturaliter plerumque adhaerent, hinc extracto embryone, ubi vel per mediam placentam terebrando, vel a latere deglubendo via l) facta fuit, ſponte ſecedunt; ita ſtatum et conditionem ſecundinarum plane coalitarum, de quibus nobis eſt ſermo, nec tangit, nec ſubuertit adductus caſus. Quodſi cuidam videatur allatus in praedicta definitione terminus adhaeſionis aequiuocus eſſe, utpote, qui de naturali placentae cum utero unione ad partus terminum uſque ſubſiſtente praedicari non minus ſoleat, illi praeter uſum vocis auctoribus, qui de hoc negotio aliquam mentionem fecerunt ſolennem, nihil regerere audemus, probe perſuaſi, notiones quasdam alias, quae ſtatum immobilitatis inferunt, cohaeſionis ſcilicet, radicationis, coalitus, ſyſtomoſeos, συνιζήσεως, διαπηδήσεως, quae voces BOERHAVIO ſolennes m) ſunt, non leuiorem ſignificandi valorem habituros.

Lugd. Batau. 1727. 12. §. 675. Hoc de negotio plura legi poſſunt in Diſſertatione de partu praeternaturali ob ſitum placentae ſuper orificium internum uteri Autore IOH. DAN. ERHARD. BRVNNERO, Argentorat. 1730.

l) Exempla ſecundinarum orificium uteri internum ex parte tegentium. Vid. apud PIERRE AMAND Nouuelles Obſeruations ſur la pratique des Accouchemens. Paris 1715. 8uo Obſ. 20. p. 119. itidemque Traité complet des Accouchemens par de la MOTTE, Paris 1722. 4to Lib. 3. c. 16. Obſ. 233. p. 408.

m) Inſt. med. §. 721. 723.

turos. Verum uſus vocum tyrannus in rebus maxime practicis ſicut alibi, ita et hic non leuem ſibi auctoritatem arrogauit.

§. IV.

Adhaeſionis ſecundinarum differentia.

Sicut autem in definitione cauſam formalem adhaeſionis collocauimus in immobilitate earundem ex ſede ſua, quam occupant; ita non leues dantur differentiae, quae morboſam hancce unionem deſcribunt, quas allegandas eam ob rationem duximus, quandoquidem et cauſarum cognitio et indicationes, quibus ad agendum deſtinamur, luculenter exinde proueniunt. Prima diuerſitas, quae ad praxin ipſam haud mediocriter ſpectat, deſumpta eſt a termino partus, neque enim ſaltem maturi foetus placenta in utero moram nectit, ſed et qui ante terminum abortiui ſunt, ſecundinas ſuas adhaerentes poſt ſe relinquunt, nec leue exinde negotium obſtetricanti faceſſitur. Et quamuis ſecundinae abortiuorum foetuum videantur ſuo iure uti, quando, utpote immaturae, locum derelinquere detrectant, nihilominus eo maioris momenti res eſt, quod ſecundinae iſtiusmodi paruum volumen efformantes, facilius et cum maiore puerperarum detrimento a contrahente ſeſe utero retineantur. Leges ſane, quae obſtetrices obſtringunt, imperant, ne ſecundinae abortuum temere relinquantur. Contradicentem habemus exercitatiſſimum DIONIS n) qui periculum ſubeſſe, ſi adhaerente uti ſolent tenacius, ob immaturitatem ſecundinae abortiuae remaneant, quandoquidem fieri poſſe exiſtimat, ut duorum vel trium menſium foetus placenta, ſalua matre non

n) Traité general des Accouchemens par DIONIS, Pariſ. 1718. 8uo Liu. 3. c. 6. p. 226.

non compareat, nec ullum eius veſtigium paulo poſt deprehendatur. Nolo tanti viri autoritati, quae in contrarium obſeruata ſunt, opponere, ſufficiet relegaſſe lectorem ad ea, quae habentur in eruditiſſimo, qui ſuperiori anno in Anglia prodiit, libello, artis obſtetriciae compendium exhibente Clar. EDMVND CHAPMANN, o) qui ſecundinarum iſtiusmodi remanentium impunitatem in dubium vocauit, adiectis ſententiae ſuae argumentis. Antiquius hoc effato eſt Clar. de la MOTTE de hac materia iudicium, qui periculoſiores adhaeſiones ſecundinarum in illis, quae uno ſaltem alteroue menſe grauidae ſunt, exemplo declarat. p) Equidem incruentos prodiiſſe abortus quospiam, manifeſto indicio ſecundinas earundem non fuiſſe ſeparatas, nouimus, monente PAVLO PORTALIO. q) Verum ſicut exempla non probant ſed illuſtrant, ita dubium non eſt, paruas ſecundinas pro menſura mediocris cauitatis uterinae mediocria equidem, ſed tamen non omnino nulla ſymptomata producturas, quin imo conſuetas puerperarum abortientium affectiones, lypothymias, haemorrhagias, conuulſiones aliasque, non minus in unius aliquotue menſium embryonis retenta ſecundina, quam ſi adultior fuiſſet, comparituras. Illa ſaltem ratione praxeos utrinque intercedit diuerſitas, quod grandioris foetus adhaerens ſecundina manum facilius admittat pro ſuſcipienda ſeparatione, quam ſi puſillus fuerit. Alia non minoris momenti differentia, adhaeſionibus placentae intercedens, eſt, quae numerum placentarum concernit.

o) an Eſſay on the improuement of Midwifery by Edmund Chapman, Lond. 1733. p. 43.
p) l. c. Lib. 5. Obſeru. 383. p. 734. 735.
q) La Pratique des Accouchemens par PAVL. PORTAL. Pariſ. 1685. 8uo p. 18.

cernit. Extra dubium enim poſitum eſt, plus negotii faceſſere adnaſcentes gemellorum placentas, quam, ſi ſimplex quaepiam in hoc violentiae ſtatu verſetur. Difficultatem in eo poſitam deprehendunt practici, quod maius in uteri cauitate ſpatium utraque gemellorum ſecundina prope ſe inuicem collocata adimpleat; quinimo beneficio naturae factum eſſe intelligimus, quod lege quaſi naturali placentae iſtiusmodi tenacius ſedi ſuae affixae deprehendantur, ne ſcilicet, interea, dum partu alterius occupata eſt obſtetricantis manus, alterius ſubſecuturi foetus placenta facile diſcedens, per ſe laborioſum nixus officium, matri, embryoni et adminiſtranti taedioſum et periculoſum efficiat. Licebit ea, quae anatomiam iſtius momenti ſpectant, breuibus addere. Equidem haud unicam raro gemellis placentam contigiſſe THOMAS BARTHOLINVS r) autor eſt, itidemque THOM. WARTONVS s). Trimellorum unam placentam treſque diſtinctos membranis loculos refert RIEDLINVS t). Media incedunt via, qui autopſia ubertim declarante gemellorum placentam duplicem equidem, ſi ortum funiculi umbilicalis reſpicias, habent, lineam tamen interuenientem, qua utraque ſeſe mutuo tangit, haud raro id efficere, ut pro una agnoſci poſſit, aſſerunt, ſi forte, prout apud PORTALIVM u) extat, inter ſe coalitae deprehendantur, vel ſi, prout NEEDHAMIVS

r) THOM. BARTHOLINI Anatome, Lugd. 1677. 8uo. Lib. I. c. 36. p. 304.

s) THOM. WARTONVS Adenographia, Lond. 1636. 8uo. c. 35. p. 237.

t) VITI RIEDLINI Lineae Medicae anni 1695. Menſis Decembris Obſeru. 17. Auguſt. Vindelicor. 8uo.

u) l. c. Obſeru. 65. p. 280.

ritatem uberius confirmat HARVAEVS h) qui aliquot poſt conceptum diebus chorion ſine placenta ſubſiſtere, adeoque liberum in utero fluctuari aſſerit, prout in ſuibus, equis, aliisque quibusdam, teſte praememorato auctore, per totum geſtationis tempus contingere aſueuit. Fieri adeoque poteſt, ut eadem, qua placenta, lege, chorion radiculas nonnullas in uteri ſubſtantiam ſpargat, iisdemque firma teneatur, prout id ipſum inter cauſas adhaerentis placentae allegauit DRELINCVRTIVS et PALFYN. i) Modum vero iſtius unionis a villis tenuiſſimis ex chorion oriundis definit AMOS LAMBRECHT k) cuius rei eo maior fides eſſe debet, quandoquidem totius placentae conuexitas villoſa uteri ſubſtantiam ſubeunte lamella, quae chorii propago eſt, ſecundum RUYSCHIVM l) obducitur. Si recte intelligo, quo de la MOTTE uſus eſt agglutinationis terminum *l'arriere faix etoit comme collée avec la matrice* m) nobiſcum ſentire videtur. Status enim ſecundinae illius, quam allegato in caſu fortiter adhaerentem extraxit, talis fuit conditio, ut incertus haereret ob uniformem cum utero coalitum, quo in loco ſeparationis initium faciendum eſſet. Manifeſtas radicum membranacearum inſer-

h) l. c. p. 285.

i) IOH. DRELINCVRTIVS de Tunica chorion animadu. ext. in IOH. IAC. MANGETI Theatr. anat. L. II. P. II. Cap. 3. p. 89. Geneu. 1717. Fol. IEAN PALFYN Anatomie du corps humain, Pariſ. 1726. P. I. p. 197. PAVL. PORTAL. l. c. Obſ. 76. p. 329. Praelaudatus Dn. D. SCHACHERVS in Diſſert. de placentae uterinae morbis, hoc phaenomenon propria experientia confirmauit. §. 8. p. 14.

k) AMOS LAMBRECHTS Manuductio obſtetricantium. t'Amſterdam, 1731. 8uo p. 45.

l) Theſaur. Anatom. V. No. 41.

m) l. c. lib. V. c. 2. Obſeru. 386. p. 739.

C

inſertiones, deprehendi, quae ex ſubſtantia uterina extractae eſſe inter ſeparationis adminiſtrationem videbantur. Inde haud raro fieri ſolet, obſeruante, PETRO AMAND, n) ut, integra etiam prodeunte placenta, membrana chorion in utero relinquatur, quas membranas adhaerentes et ſuperſtites periculoſiores eſſe, ipſa placenta in utero relicta, declarat, addita ratione, quandoquidem putredine ſolida membranarum ſubſtantia, reſolui non poſſit. Suffraganeum habet huius ſuae ſententiae PEU, qui non tantum hunc adhaerendi modum eleganter deſcribit o) aſſerens: *membranas immerſas et quaſi agglutinatas fundo matricis et a plicis quibusdam vel angulis eiusdem retentas vaſorum orificia claudere*, ſed et oriunda exin ſymptomata, conuulſiones p) et alia mala, appoſite deſcribit, quapropter non leuiorem difficultatem infert portio membranae relicta, quam ſi placentae fragmentum remanſerit. Animaduerſione quoque dignum eſt, relictas eiusmodi in utero membranas naturali maius volumen indipiſci et ſanguine congrumato repleri, pugnique magnitudinem aequare, imo ſaepius ſuperare, quo ipſo fit, ut nouis interdum conatibus pro peregrinis iſtis corporibus educendis opus ſit, cum manifeſta virium in puerpera proſtratione.

§. VII.

De adhaeſione ſecundinarum per inoſculationem vaſorum.

Inter cauſas formales adhaeſionis ſecundinarum, quibus nexum earundem cum utero declarare ſuſceperunt

n) l. c. p. 38.
o) l. c. liu. 2. c. 15. p. 504.
p) ibid. p. 499.

perunt autores, non ultimum locum occupat vaſorum uteri aeque ac ſecundinarum firmior inoſculatio, qua diutius quam par eſt ſubſiſtente, ſecundinae ſpontaneo motu dehiſcere non poſſunt. Cl. RUYSCHIVS q) contra antiquorum aeque ac modernorum et ipſius autopſiae fidem inoſculationem vaſorum mutuam prorſus negat, non nouam hoc ipſo proponens ſententiam, ſed quam ante eum HIERONYMVS FABRICIVS ab Aquapendente r) aſſeruerat, qui continuitatem equidem horum vaſorum non admittit, contiguitatem vero, ſiue appoſitionem lubens concedit, quo ipſo eundem nobiſcum conſentientem habemus, utpote, quibus pro demonſtrando vaſorum nexu, ut exinde firmitas et cohaeſio praememorata ſubſequatur, perinde erit, an continua ſit uterina in ſecundinam uſque arteria, an vero ab eiusdem termino nouum quodpiam vaſorum genus exoriatur, quod celluloſum eſſe ex ſecta per medium uteri ſubſtantia videri poteſt; negari tamen nequit, oſcula, quae ſub interiore uteri membrana oblique hiant s) cum principiis venularum umbilicalium per ſecundinam diſperſarum coniunctiſſima eſſe, id quod ſuo iam tempore HIPPOCRATES agnouit, oſculorum in matricem dehiſcentium, mentionem faciens. t) In vitulis hanc inoſculationem eleganter deſcripſit NICOLAVS HOBOKENIVS. u) Varia inſtituta experimenta in huius rei gra-

 tiam

q) Theſaurus Anatomic. 2. Aſſ. 4. No. 12. ſeqq. p. 55.

r) HIERONYMI FABRICII ab Aquapendente Oper. Omn. Lipſ. 1687. Fol. de formato foetu, P. 2. c. 3. p. 87.

s) Conf. Cl. ABRAHAM VATERI Diſſert. de utero grauido, cumprimis figuram.

t) Aphoriſm. Sect. v. aph. 45. Edit. Linden. T. I. p. 94.

u) Secundinae vitulinae anatomia, Ultrai. 1672. 8uo p. 255.

tiam negotium uberius declarauerunt. Iniectiones variis liquoribus factae clarum reddiderunt ſanguinis per vaſa uterina ad placentas tranſitum, quo ipſo corruit propoſita a GRAAFIO ſententia: x) *nulla ab utero vaſa placentas recipere, nec ſanguinem, aſt lacteum quendam humorem eſſe, qui ab utero ad foetum defertur*, quamuis ille variis in brutorum utero factis obſeruationibus ad mentem Haruaei robur opinioni ſuae addere conatus ſit. In homine ſane res aliter ſeſe habere poteſt, quin imo recentiorum in brutis factae demonſtrauerunt iniectiones, vere ad placentulas pertingere uteri vaſa, inter quos eſt DRACKIVS, y) COWPERVS, z) VIEUSSENS apud MANGETTVM a) omnium recentiſſime ALEXANDER MONRO b), qui omnes mercurium per uterum in placentam tranſiiſſe animaduerterunt. Tinctum liquorem eadem via tranſiiſſe deprehendit IOANN. HYACINTH. VOGLI c). Retrogradum etiam liquoris per arteriam umbilicalem iniecti ex placenta ad uterum motum demonſtrauit COWPERVS. d) ipſa experientia practica non leuiora nobis argumenta ſuppeditat, quibus ad veram mutui iſtius nexus cognitionem deueniri poteſt. Obſeruatum eſt poſt haemorrhagiam matris vaſa

x) l. c. c. 15. p. 296.

y) IAMES DRACKE Anthropologia Edit. 3. Lond. 1727. 8uo. Vol. 2. Cap. 7. p. 234.

z) WILLIAM COWPER the Anatome of Humane Bodies, Oxford. 1698. Fol. Tab. 54.

a) RAYMVNDI VIEVSSENS Nouum vaſorum ſyſtema, Amſtel. 1705. p. 25. ſeqq.

b) Medical Eſſays and obſervations reviſed and publiſhed by a Society in Edingburgh. Edinb. 1734. 8uo. Vol. 2. p. 139.

c) Anthropogenie Bonon. 1718. 4to. P. 2. p. 162.

d) loc. ſupr. allegat.

vaſa embryonis vacua fuiſſe. e) Sicut adeoque contigua uterina aeque ac ſecundinarum vaſa lege naturae, quam declarare prolixum nimis foret, ubi ad maturitatem deuenerit embryo, ſua ſponte a ſe inuicem ſecedunt et dehiſcentem relinquunt ſecundinam, ita veroſimile eſt, non tantum in abortiuo foetu fortius easdem cohaeſuras, quandoquidem maturitatis terminum, f) nondum attigit, ſed et adulti embryonis ſecundas cohaeſuras, ſi ſtatus quispiam morboſus impediuerit, ne oſcula a ſe inuicem ſecedere valeant, quales ſunt, aut eſſe poſſunt infarctus vaſorum capillarium ſcirrhoſi g) a materia quapiam tartarea, qualem lapidis inſtar duram in chorii confinio obſeruauit FREDERICVS RUYSCH: h) Hinc fieri haud raro ſueuit, ut grauiores, quam vulgo ſolet, remota eiusmodi ſecundina haemorrhagiae ſubſequantur, manifeſto indicio, vaſorum morboſam unionem adhaeſionis cauſam extitiſſe.

§. VIII.

De Adhaeſione Secundinarum per incarcerationem.

Peculiaris eſt adhaerendi modus, quo ſecundinarum excluſio retardatur, qui fit per ſtricturam alicuius fundi uterini partis, cuius ſcilicet contractili motu aliquando ſecundina a reliqua matricis cauitate excluditur et ſeparato quo-

 piam

e) M. MERY dans l'Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, 1708. p. 45.

f) Immaturitatis notionem breuitatis ergo, quamuis res mechanice etiam declarari poſſit, adoptare liceat ex Paraeo apud ISRAEL SPACHIVM de hominis generatione c. 18. p. 413.

g) DIONIS l. c. Liu. 3. c. 5. p. 226.

h) de muſculo in fundo uteri reperto p. 10.

piam in loculo continetur. Incarcerationis termino uti pro declaranda hac oppido curioſa placentae conditione placuit, quandoquidem hepar uterinum in ſimili caſu ſeparatam a foetu ſuo capſulam indeptum eſſe deprehenditur. Res ſic ſeſe habet: Edito in lucem infante, uti mos eſt, pro educenda placenta manus in uterum immittitur, et quodſi ante deſcriptum ſtatum ſecundinae obtinent, mirantur obſtetrices, nuſpiam reperiri placentam, utpote quam in abſcondito eiusmodi loco quaerendam eſſe non ſuſpicantur, crederentque nullam plane adeſſe ſecundinam, niſi de hoc caſu praemonitae eſſent, vel ex tractu funiculi umbilicalis fallaciam quampiam ſubeſſe, intelligerent. Utuntur hoc umbilicali fune inſtar fili ariadnaei, quo, ſi ſapiunt, facillimo negotio ſeſe extricant, nam adducuntur ad hancce latebram, in qua placenta deliteſcit. Variae autorum, ſi qui hoc de negotio commentati ſunt, quos pauciores eſſe exiſtimo, extiterunt ſententiae. Celeb. PEV in ea verſatur ſententia, ac ſi forſitan ab initio formati foetus hoc ſeparatum ſecundinarum domicilium fabrefactum fuerit i) nec uno ſaltem in loco, ſed aliquoties *iſtius* ſecundinarum ſtatus mentionem facit, diuerſis notionibus pro eodem indicando uſus, modo enim burſae, k) modo domicilii poſterioris, *arriere boutique* l) nomine rem declarat. Aliis aliae placent notiones: Propendulum ſupra os pubis uterum ſingularem efformaſſe cauitatem, ex qua cum magno labore adhaerens ſecundina extrahenda fuit, allegat CORNELIVS SOLINGEN, m) ſtatumque iſtum herniam

i) l. c. Liu. 2. c. 15. p. 511.
k) l. c. p. 494. 508.
l) l. c. p. 512.
m) *Hand-Griſſe der Wund-Artzney*, *Franckf. an der Oder* 1693. 4to p. 466. 467.

niam uterinam appellat, qui ſuo modo huc pertinere videtur. CAROLVS DRELINCVRTIVS ex antiquitate allegat Hippocratis κόλπους σύχνους δὲ καὶ γαμψούς, *ſinus denſos atque recuruos* et Praxagorae, μήτραν τὴν δίκολπον, *matricem utrinque ſinuoſam*, adducit. n) Si dicendum, quod res eſt, praeextitiſſe a formati foetus primordio eiusmodi ſeparatam uteri capſulam vix arbitror, utpote quae ſententia cum ſtructura uteri et ſpiſſitate ſubſtantiae eius vix conueniret. Exiſtimo potius foetu in lucem edito, quando uterus in ſtatu contractionis verſatur, illum locum, cui ſecundina tenacius adhaeret, praecludi et in ſacci ſpeciem efformari. Dici ſane non poteſt, quam praecipiti collapſu, quamprimum onere ſuo leuatur uterus, ad priſtinam paruitatem redire allaboret. Perſentiſcunt id ſuo quandoque damno obſtetricantes, quorum manus haud raro eo tempore, quando uterus ſeſe contrahit, arripiuntur, ſtrangulantur et ad ſtuporem uſque comprimuntur, id quod ſimili modo cum ſecundina fieri poſſe, conſtanter aſſero. An muſculus ſit peculiaris, qui contractionem uteri violentam dirigat, magna apud magni nominis viros eſt controuerſia, quam paulo poſt diſcutere et, quantum in nobis eſt, declarare ſuſcipiemus. Eiusdem conditionis cum adhaerente ſecundina praeſens placentae ſtatus eſt, nam et hunc periculoſiſſimis ſaepius ſtipatum eſſe ſymptomatibus, qualia iam antea allegata fuerunt, docet iam citatus PEV, o) nec leui certe labore opus eſt, quo carceribus iſtis ſuis hepar uterinum educatur.

§. IX.

n) de humani foetus membranis Hypomnemata in Opuſcul. Med. Omn. Hag. Comit. 1727. 4to p. 469.

o) l. ſuper. cit.

§. IX.

De carnoſa Secundinarum cum utero concretione.

Sicut de modo cohaeſionis placentae cum uteri parietibus non omnino conueniunt autores, ita ſingularem hoc de negotio ſententiam propoſuit HIERONYMVS FABRICIVS p) carnoſum hunc nexum eſſe adſerens. Carneam ſcilicet adpellat ſubſtantiam ad fines vaſorum poſitam. Quidquid inter capillaria vaſa medium haeret antiquis parenchyma, Malpighio glanduloſa congeries dicitur, id praeſenti in negotio caro eſt Fabricio. Ne autem quis arbitretur, muſcularem hanc eſſe carnem, prudenter adiicit: *carneam hanc molem nequaquam propter ſuam actionem eſſe utilem cum nullam habeat, ſed tantummodo propter ea, quae temperamenta conſequuntur et accidunt.* Nempe cum GALENO q) ſentit, qui carneam hanc molem utero adplicatam ea propter dixerat, ut firmiter adhaerere eidem poſſit. Haec omnia quamuis recentiorum palato haud arrideant, eum ſaltim in finem adduxi, ut, quandoquidem de praeternaturali quopiam adhaerendi modo ſermo faciendus eſt, qui per modum ſarcomatis aliquando fieri adſueuit, demonſtrem, carnoſitatis terminum non adeo obſoletum eſſe, ut eodem uti nefas ſit. Meditandi occaſionem dederunt, tum aliae, tum illae potiſſimum, quae apud non ſatis laudandum FRED. RUYSCH. habentur, obſeruationes r) *de placentula, quae per aliquod tempus in utero ſuperſtes, poſt embryonis*

p) l. c. de formato foetu P. 2. c. 3. p. 87.

q) GALENVS Claſſ. 1. de uſu partium corp. human Lib. 15. c. 4. Edit. Froben. Baſil. 1562. Fol. p. 422.

r) Theſaur. Anatom. IV. No. 29. Amſtel. 1704. 4to. p. 14.

nis excluſionem vel liquefactionem ita compreſſa et indurata fuerat, ut molae ſpeciem referret, quamuis perperam pro tali haberetur. Cui ſimilis eſt eiusdem, quae alibi exſtat obſeruatio. s) Remanentis cuiusdam placentae corpus ſalua matre diutius retentum in duram carnoſam molem degeneraſſe, idem autor eſt, t) quae, ſi ſic ſunt, quamuis, ut ingenue fatear, tale quidpiam nunquam mihi obuenerit, ſicut in numeroſa plebe, qualis Amſtelaedami, obſeruationum frequentia deeſſe non poteſt, qua nos caremus, ratio rei ſane alia reddi non poterit, quam quod vaſculis placentae ſarcomatis modo in ſubſtantiam uteri radicatis ſimile quid monſtri ſubnaſci poſſit. Nec omittenda eſt ſingularis prorſus et dubia haud paucis viſa placentarum adhaerendi ratio, orta a muſculi ſuppoſititii praua relatione, ita quidem, ut quandoque ſecundina extra eius ſphaeram actiuitatis ſita ſit, ea *tanta violentia crebro adhaereat, ut non, niſi vi, extrahi poſſit.* u)

§. X.

De adhaerente Secundinarum particula.

Hactenus tota placenta arctiorem cum utero nexum ſeruans noſtrae tractationis obiectum fuit, operae pretium nunc eſſe arbitror, de relicta eius in utero particula, quaedam diſſerere. Fieri ſcilicet haud raro ſolet, ut placenta in ambitu ſuo libera viſa manumque facile admittens, in media quapiam ſui parte adhaereſcat fortius, quam ut placide ſeparari poſſit. Inde quaecunque demum huius adhaeſionis cauſa fuerit, et ad quamcunque praedeſcriptarum reduci

s) Theſaur. Anatom. IV. No. 101. Amſtelaed. 1705. 4to p. 69. 70.
t) Aduerſ. Anatom. Dec. 2. Amſtelaed. 1720. 4to p. 32.
u) Tract. Anatom. de Muſculo in fundo uteri reperto. p. 9. 10.

ci poſſit, non leue obſtetricanti negotium faceſſitur, ſi, poſtquam a feſtinante obſtetricis manu mutila extracta fuit placenta, tardius aduocetur. Neque vero adminiſtrantis ſemper culpa eſt, ſi quidpiam ſecundinarum relinquatur, ſed ipſis in arte magiſtris ſimile quid ſiniſtri ſucceſſus euenire poteſt, prout ingenue id de ſe faſſi ſunt magni in arte viri, de la MOTTE aliique. x) Nec difficile eſt humani quidpiam pati, maxime eo tempore, ſi, prout obſtetricibus mos eſt, arrepto funiculo umbilicali ſeparationis negotium ſuſcipiatur. Neque enim tantum ille in radice ſua, qua placentae immerſus eſt, aliquando euellitur y) ſed et aliquam plus vel minus notabilem ſecundinae partem poſt ſe relinquit, maiori plerumque exiſtente tunc rerum diſcrimine, quam, ſi tota placenta adhaerens in utero ſuperſit, haec enim ſatis notabili temporis ſpatio remanet, quamuis, uti paulo poſt dicetur, non differenda ſit eius extractio, illa vero ob continuam uteri haemorrhagiam, niſi penitus euacuato utero non compeſcendam, z) in praeſens vitae periculum matrem adducit. Tanti ſcilicet momenti hoc negotium viſum eſt artis obſtetriciae ſtatoribus, ut ſedulo commendent obſtetricibus adhibendam diligentiam, ne quidpiam ſecundinae temere relinquatur. Quem in finem imperant, ut extractae placentae conuexitas adſtantium examini ſubiiciatur, quo integritas eius omnibus innoteſcere poſſit, utque, ſi portio nonnulla deſideretur, conquiri undique poſſit, id quod nulla mora conceſſa peragendum, et, ſi etiam omnia ſecura videantur, nihilo ſecius omnis nauanda opera, ne

x) l. c. liu. 5. c. 1. obſeru. 380. p. 729. 730.

y) de la MOTTE l. c. Liu. 5. c. 1. obſeru. 379. p. 727. PAVL PORTAL. l. c. obſeru. 14. p. 85. DIONIS l. c. Liu. 3. c. 6. p. 223. ſeq.

z) DEVENT. Nou. Lum. Obſt. c. 33. p. 144. DION. L. 2. c. 13. p. 170.

ne quid peregrini in cauo uteri ſuperſit, id quod iam ſuo tempore HIPPOCRATES a) ſedulo ſuaſit, qui euacuandum ſanguinem grumoſum a puerperio et lochiis in utero collectum ſerio imperat. Ab hoc integritatem ſecundinae explorandi, utrum tota exierit, officio neutiquam liberos ſe eſſe aeſtimabunt magiſtri artis, cum et hic prouerbium valeat: *Cum cauiſſe ratus eſt, ſaepe cautor captus eſt*, nihil ſane magis imponit, quam nimia ſui ſuaeque artis fiducia. Inde cum de la MOTTE b) equidem ſentio, non decere bonum virum aſſiſtentium examini ſuam fidem ſubiicere, perſuaſum tamen mihi et hoc habeo, in tantae dignitatis negotio cautelas adhiberi nimium nunquam poſſe. Clar. DIONIS c) latentis ſecundinae partis, utrum parua, utrum grandior ſit relicta, ſignum ex conditione haemorrhagiarum habet, ſiquidem mediocrem ſanguinis fluxum indicare aſſerat, integras ſeceſſiſſe ſecundinas, quae ſi ex parte adhaeſerint ſanguinis copiam utero euocare non intermittunt. Neque vero portione integra relicta, quo funeſta excitentur ſymptomata, opus eſt, cum radiculae quaedam, quibus ſecundina adhaeſerat, relictae, ſimilia mala producere poſſint. d) Securum ſane neminem facere debet poſſibilitas, vel cum lochiis, ſi quid ſecundinarum ſuperſit, proditurum, vel putredine reſolutum iri, nec vana nos alere debet fiducia ſuo forte tempore comparituras, prout exemplum portionis quarto a partu menſe innoxiae prodeuntis habetur apud THEOD. KERKRINGIVM. e)

 §. XI.

a) de morb. mulier. Lib. 1. Part. 75. Edit. Linden. T. 2. p. 461.
b) l. c. Liu. V. c. 1. obſeru. 379. Reflex. p. 729.
c) l. c. Liu. 3. c. 6. p. 225.
d) SIEGEMVNDIN l. c. c. 6. p. 119.
e) Spicileg. anatom. l. c. obſeru. 36. p. 78.

§. XI.

De cauſis procatarcticis, ſignis et ſymptomatibus ſecundinarum adhaerentium.

Superſunt quaepiam dicenda de cauſis remotioribus, quibus vel ſecundinarum adhaeſio conciliari vel iam exiſtens firmior effici poteſt. Lautiorem vitae diaetam DIONIS f) accuſat, quam probabile eſt id efficere, ut turgentibus a plethora capillaribus uteri vaſis, eiusdemque ſubſtantia repletiore humoribus facta, utriusque generis vaſorum anaſtomoſis ob auctum praeter naturam diametrum eorum cohaereat, nec, quae a dehiſcentibus et collabaſcentibus vaſis oritur, ſeparationem ſecundinarum admittat. Neque etiam dubium eſt, hinc inde varia obuenire in vita communi errorum et ab extra accidentium genera, quae accuſari hoc in negotio poſſint, verum haec tanquam dubia in medio relinquere, quam audacius definire malumus. Quamuis etiam, quae inter retentionis ſecundinarum cauſas allegantur a IOANNE VARANDAEO, g) ſubitus aëris adpulſus, animi pathemata, imbecillitas et languor parturientis h), anguſtia et contractio matricis, ſuo modo adhaeſionem grauiorem reddere, eiusdemque ſymptomata augere poſſint, ex longinquo tamen huc ſpectant, noſtramque disculſionem adeo non merentur. Intactam interim relinquere non poſſumus notabilem et periculoſam ſatis abrupti ex ſede ſua funiculi umbilicalis conditionem, qua adhaeſio ſecundinarum per ſe difficultatibus non carens, difficilior efficitur. Agnouit

f) l. c. Liu. 3. c. 5. p. 221.

g) de affect. mulier. Lib. 3. Hannou. 1619. 8uo Lib. 2. c. 11. p. 342.

h) EUCHAR. RHODION. Libell. de partu hominis. Francof. 1556. 8uo c. 6. p. 23.

uit huius rei momentum iam ſuo tempore HIPPOCRATES i) et ille quidem euentus peritioribus etiam non ſemper euitabilis praedicatur a de la MOTTE. k) Videamus nunc qualia et quot ſymptomatum genera excitentur in corpore muliebri, ſiquidem placenta fortius adhaereſcat. In varias partes abire autores in definiendo nociuo adhaerentium ſecundinarum effectu animaduertimus, aliis ſine noxa, ſatis notabili tempore, easdem adhaerere poſſe aſſerentibus, aliis periculoſa quaeuis exinde ſubſecutura pro certo declarantibus. Plurima horum ſymptomatum, quorum alibi commemorandorum erit opportunitas, communia ſunt cum retentione ſecundinarum, ventris ſcilicet dolores, rigores ac febres, ſecundum HIPPOCRATEM l) ſuffocatio, apoplexia, epilepſia et alia mala, ſecundum IACOB. RVEFF. m) Verum id peculiare habet perfecta adhaeſio, quod haemorrhagiam ob clauſos uteri poros comitem nullam habeat, quo factum eſſe videtur, quod infantes quidam incruenti totoque corpore candidi nati ſint, quod inter rariora exempla ponit THOMAS BARTHOLINVS, n) quodque, ſi contingeret, bono omine factum eſſe credebatur, ſic enim ex IVLIO CAPITOLINO in Clodio Albino habetur: *Filius mihi natus eſt ſeptimo Kalendas Decembres ita candidus ſtatim toto corpore, ut linteamen, quo exceptus eſt, vinceret.* Cruenti certe infantes ſeceſſum ſecundinarum ex parte iam eſſe factum, indicant: Inde

 recens

i) de morb. mulier. Lib. 1. Par. 76. Edit. Lind. T. 2. p. 462.
k) l. c. obſeru. 379. 381. 385. 389.
l) de morb. mulier. Lib. 1. Part. 76. 77. Edit. Lind. T. 2. p. 462.
m) De Conceptu et Generatione, Tigur. 1554. 8uo Lib. 3. c. 4. p. 25. b.
n) l. c. de puerper. veter. p. 63. ex IULIO CAPITOLINO ext. c. hiſt. Aug. Script. Sax. c. not. ULR. OBRECHTI, Argent. 1677. 8uo. p. 209.

recens nati *a matre rubentes*, dicuntur, ſic enim IUVENALIS. o)

Sidera te excipiunt, modo primos incipientem
Edere vagitus et adhuc a matre rubentem.

§. XII.
De adhaerentium Secundinarum extractione differenda ad mentem quorundam.

Poſtquam varios adhaerendi modos, quibus ſecundinae obſtinaces reſiſtunt, conſiderauimus, poſtquam et cauſae, quotquot huc facere videbantur, expoſitae fuere, proximum nunc eſt ſcire, quid in dubio eiusmodi rerum ſtatu agendum ſuperſit, an ſcilicet concedenda ſit quaedam adnaſcenti placentae mora, et utrum expectationi ſine puerperae periculo aliquid largiendum ſit, an vero temporis lucrandi cauſa conniuere nullo modo obſtetricans debeat, nec differenda ſit ſecundinarum extractio. Operae pretium eſſe arbitror, utriusque quaeſtionis indolem altius rimari. Prior ſententia de differenda extractione fuit antiquorum omnium et quorundam ex recentioribus. Expectabant antiqui medici vel ſpontaneum ſecundinarum adhaerentium ſeceſſum, vel putredine factam aliquo poſt tempore diſſolutionem. Quandoquidem illi alium ſecundinas aufferendi modum praeter eum, qui fit attracta chorda umbilicali ignorabant, prout videre licet ex HIPPOCRATE, p) quo ipſo mirum non eſt, illis, donec id ſua ſponte fieret, quod arte efficere non poterant, indulgendum fuiſſe, quodque, id ſine periculo fieri poſſe, celebrium auctorum teſtimonio intelligamus. *Si*

ſecun-

o) Satyra VII. v. 195. ſequ. ex recenſ. HENR. CHRIST. HENNINI, Ultrai. 1685. p. 212. 13.

p) de morb. mulier. Lib. I. Part. 76. Edit. Linden. T. 2. p. 462.

ſecundinae non facile exierint, ſinendae ſunt, ait HIPPOCRATES. q) *Vel ſponte ſeceſſuras,* r) *vel putredine diffluxuras, quod ſexto, vel ſeptimo poſt partum die fieri debeat,* hic ipſe declarat s). Repetit hoc conſilium AETIVS. t) Poſt paucos dies in ſaniem ſolutas ſecundinas excidere ſpondet PAVLVS AEGINETA u) aſſentiente AVICENNA: x) *non egreditur ſecundina, ne ſollicites, ipſa enim poſt paucos dies reſoluetur.* Sequuntur hanc mentem omnes hippocraticae et galenicae ſcholae medici quotquot in collectione ISRAEL SPACHII y) de partu allegantur, inter quos AMBROSIVS PARAEVS de hominis generatione z) ſequentia habet: *viſae ſunt mulieres, ſecundinas, quas nulla ars reuellere potuerat, putredine et temperie corrruptas fruſtatim per vuluam multis horrendis ſymptomatibus ſuperuenientibus excluſiſſe.* Incertum tamen fuit omnibus, per quod temporis ſpatium innocenter ſupereſſe ſecundinae in utero poſſint; quatuordecim hebdomadarum mora ſecundinas ſine noxa retentas allegat THOMAS BARTHOLINVS. a) Integri et dimidii anni tempus largitur CHRISTIANVS MENZELIVS. b) quo effluxo

q) de ſuperfoetatione Part. 5. Edit. Lind. T. 2. p. 647.
r) de morb. mulier. Lib. 1. Part. 77. Edit. Linden. T. 2. p. 463.
s) de morb. mulier. Lib. 1. P. 76. Edit. Linden. T. 2. p. 462.
t) Tetrabibl. Lib. 4. Serm. 4. c. 24. ext. in HENRIC. STEPHAN. Med. art. Princ. Tom. 2. 1567. p. 791.
u) Oper. Lugdun. 1589. 8uo. Lib. 6. c. 75. p. 635.
x) Lib. 3. Fen. 21. Tract. 1. c. 16. Edit. cit. p. 720.
y) Gynaecior. Libr.
z) c. 18. apud eundem p. 413.
a) Acta med. Philoſ. Haf. an. 1633. 8uo. acceſſ. Examen obſtetr. p. 54.
b) Miſcell. Nat. Curioſ. Decad. 2. an. 1. obſeru. 31. p. 74.

effluxo ſecundina quaedam arida excreta fuerit. Impatientem tantae morae placentam agnouerunt alii. De la MOTTE, altero ſtatim die foetidiſſimam et ſanie corruptam deprehendit, c) SCIPIO MERCVRIVS d) adhaerentes diutius ſecundinas facillime putreſcere agnouit, plurimis metus obfuit, ne promptam ſecundinarum expeditionem ſuſciperent, timentibus, ne uteri fundum excorticarent, alioque modo male tractarent, ſic enim SOLINGEN: *melius eſt ſecundinae partem relinquere, quam uterum laedere.* Manifeſtum vitae periculum ſubeſſe, ſi relinquantur, negat, maximum vero rerum diſcrimen incurrere puerperas, ſi vi remoueantur, aſſerit ZACVT. LVSIT. f) Maxime omnium hoc negotium de differenda ſecundinarum extractione urſit FRED. RUYSCH. manifeſte aſſerens prudentius eſſe relinquere placentam quam lethali feſtinatione occidere aegram, g) ſiquidem a natura ipſa excutiatur, h) graue adeo periculum, ſi remanſerit, ſubeſſe negans i) imo contra probatiſſimorum in arte virorum, quos ex parte allegauimus fidem ipſamque autopſiam non putreſcere, non in pus ichoremue abire, ſicque in putridum liquamen redigi, neque adeo deſcripta ab auctoribus mala, ſi reſtiterint, ſubſequi poſſe, affirmans, k) in quo ſuam experientiam pro primo rei argumento agnoſcit.

Mirum

c) l. c. lib. V. c. 2. obſ. 388. p. 740.
d) Commare. Veron. 1645. 4. Lib. 2. c. 30. p. 178.
e) Embryulcia c. 34. p. 173.
f) Op. de Medicor. Princip. Hiſtoria Lib. 6. Lugd. 1667. Fol. T. 2. Lib. 3. c. 19. p. 522.
g) Aduerſar. Anat. Dec. 2. p. 31.
h) ibid. p. 34.
i) ibid. p. 36.
k) ibid. p. 33.

Mirum ſaltem videri poterat, quomodo a rarioribus exemplis placentarum in hydatides tranſeuntium, l) alioue modo in molae ſimilem formam mutatarum, m) ad id quod plurimum fit, concludere quis audeat, et qua ratione prope ſe inuicem ſtare poſſint ſententiae; *placenta embryonis non matris pars eſt habenda*, n) et pars a toto ſuo auulſa, non putreſcit. Quamuis enim inflammationem et gangraenam proprie ſic dictam, de parte quapiam auulſa praedicari non poſſe cum eodem ſentiamus, facere tamen non poſſumus, quin contra eundem, ſalua tamen tanti viri dignitate, ſtatuamus, putredinem et redundantia exinde ad matrem mala retentis ſecundinis eſſe ineuitabilia. Turpe ſane eſt cum detrimento ſalutis humanae expectare velle, donec ſpontaneo motu eueniat, quod fieri poſſe dubitamus, prout medici euentus morborum expectantis indignitatem contra HARVAEVM, GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS o) viuis coloribus depinxit.

§. XIII.

De differendae extractionis a Ruyſchio aſſertae primario ſtabilimento, muſculo eius in fundo uteri reperto.

Quod omnibus nouitate inuentorum ſuperbientibus auctoribus commune eſt, ut pro inuenti gloria, quidquid denique ex longinquo ad eandem ulterius confirmandam facere poteſt, accerſant, id Cl. etiam huic auctori familiare eſſe

l) Obſeruat. anatom. Chirurg. 33. alibique p. 43.
m) Aduerſar. Anat. Dec. 2. p. 32.
n) ibid. p. 31.
o) Sileni Alcibiadis i. e. Ars ſanandi cum expectatione, oppoſita Arti curandi nuda expectatione, Offenbac. ad Moen. 1730. 8uo.

eſſe, deprehendimus. Quo enim muſculi ſui a paucioribus hactenus agniti, a plurimis in dubium vocati, virtutem magni faceret, rationem, cur differenda ſit placentae extractio, collocat in motu fibrarum muſcularium, quae placentam amplexae eandem ſine obſtetricantis miniſterio ſint expulſurae. Aſſeruit hanc ſuam ſententiam, tum in ſaepius allegato aduerſariorum loco, tum maxime in peculiari libello, qui inſcribitur: *Tractatio anatomica de muſculo in fundo uteri obſeruato, ante hac a nemine detecto*, p) cui icon, rem declarans, adiecta eſt. Ut autem mens Cl. Auctoris recte intelligatur, quam male interpretatos eſſe quosdam arbitror, adducenda ſunt, quae pagina huius tractationis nona habentur: *In his lectionibus meis me dixiſſe fabulantur placentam poſt foetum editum non eſſe expellendam, ſed ordinarium tempus depulſioni eſſe concedendum, donec a natura ipſa expellatur. Num mentem meam male intellexerint, vel male interpretati ſint, non urgeo. Dominos inſpectores iudicia haec deteſtaturos, nec figmentis his adſenſuros certo ſcio. Illud tum temporis tantum intendebam, placentae uterinae utero firmius adplicatae, nulliſque conſuetis lenibus remediis flexili, conſultius eſſe ordinarium ante ad depulſionem tempus largiri, quam nimis feſtinantibus et periculoſis remediis eam expellere velle.* Apologiam ſibi hic ipſi condidiſſe noſtrum contra aduerſariorum, a quibus male intellectus fuerat, obiectiones, per ſe innoteſcit, neque adeo a noſtra diſcrepat iſthaec ſententia, ut non conciliari facile inter ſe utraque, prout paulo poſt videbimus, poſſit. In eo ſaltem non poſſum

non

p) Ext. c. oper. ei. Amſtel. 1726. ex Belgico in latinum traducta a IOH. CHRISTOPH. BOHLIO.

non accuſare, animi mei vel imbecillitatem, quod muſculum huncce, retentionis, auctorem et medicinam, temere credere nequeam, vel infelicitatem, quod in uteris grauidis, quos hunc in finem ſecui, eundem haud inuenire potuerim. Si recte intelligo Cl. Inuentorem, euolutis, quae de muſculo agunt, locis, ſemel ſaltem hunc muſculum ab eodem obſeruatum fuiſſe deprehendo, mentionem ſcilicet huius nouitatis praeter allegatum tractatum, decade ſecunda aduerſariorum q) et tertia, r) ſed in eodem ſubiecto viſae, facit; Verum ſicut veritates anatomicae obſeruationum frequentia et conſtantia nituntur, ita, ſaluo aliorum iudicio, hocce excluſionis ſecundinarum organon tamdiu pro ſuſpecto habere liceat, donec id, quod ſedulo facere allaborabo, ad oculum demonſtratum fuerit mihi, quodſi contigerit, me meam, in qua nunc verſor, ignorantiam publice profeſſurum ſpondeo. Probe noui magnos muſculum huncce inueniſſe poſt RUYSCHIVM, ſtatores et defenſores, gratulatus eidem publice eſt de hoc inuento HECQVETVS, s) itidemque Clar. ABRAHAMVS VATERVS, t) nec non Cl. STENZELIVS muſculo uteri aſſentire videtur. u) Verum neuter a ſe viſam hancce orbicularium fibrarum ſeriem praedicat. Nouiſſime tamen omnium exercitatiſſimus in rebus anatomicis vir ALEXANDER MONRO, Scotus, a ſe obſeruatum et

 tam

q) p. 34.
r) Tab. 3. Fig. 1.
s) Epiſtola Viri Cl. HECQVETI ad D. D. *** de Ruyſchiano uteri muſculo, ext. c. RUYSCH. Op. Amſtel. 1727.
t) Epiſtola gratulatoria ad FRED. RUYSCHIVM de muſculo orbiculari in fundo uteri detecto ext. c. RUYSCH. Op. Amſtel. 1727. accedente eiusdem Reſponſione. ibid.
u) CHRIST. GODOFR. STENZELII Diſſert. de utero inſonte, Reſp. Ioh. Fried. Zembſch 1735. 4. §. 25. p. 35.

tam reticularibus, quam orbicularibus fibris conſtantem aſſeruit. x) Fidei tantorum virorum nihil derogamus, conſtanter tamen aſſerimus, haud improbabile videri, tractum eiusmodi fibrarum detectum fuiſſe in utero, cuius membrana interna a fundo uteri violenta ſeparatione ſecundinarum abſceſſerit, quo facto, mirum non eſt carnoſos apparere fibrarum vario modo diſpoſitos faſciculos, quandoquidem uteri ſubſtantiam internam muſculoſam iamdudum deſcripſit PHILIP. VERHEYNIVS, y) itidemque FRIDER. PLAZZONVS z) aliique. Neque errarent meo iudicio, qui termino Cl. BOERHAVIO ſolenni totum uterum muſculum cauum appellarent, a) ſiquidem eius virtus motrix et in generationis negotio, b) et in partus adminiſtratione plurimum elucefcit, quid enim vis expultrix termino VARANDAEI c) in utero exiſtens valeat, experiuntur illi, qui manum ſuam ab utero arreptam et ſtrangulatam unquam habuerunt, quique violentos conuulſiui uteri motus attente perſpexerunt. Duo certe ſunt, quae me de utilitate laudati muſculi dubitantem reddiderunt; unum, ipſo fatente autore, eius ſaltem in fundo uterino exiſtentia, *cum ſint placentae* in ceruice collocatae et faciliimo negotio ſine muſculi huius efficacia abſcedentes, totum autem uterum fundum appellare

x) an Eſſay on the nutrition of foetuſſes. recenſitus Tom. 3. Medical Eſſays and obſeruations reuiſed and publiſhed by a Society in Edinburgh. Edinb. 1734. 8uo. Vol. II. p. 128.

y) Corporis Humani anatomia Edit. ſecund. Bruxel. 1710. 4to. Lib. 1. Tract. II. c. 25. p. 127. et Lib. 2. Tract. v. c. 23. p. 382.

z) de Partibus generationi inſeruientibus, Lugd. Batau. 1644. 12 Lib. 2. c. 16. p. 170.

a) Inſt. med. §. 88. p. 47. et §. 187. p. 91.

b) Inſt. med. §. 675. p. 325.

c) l. c. Lib. 2. c. 11. p. 342.

lare velle, inadaequatum, vel naturam aliquo in loco ſibi ipſi inſufficientem arbitrari, impium eſſet; alterum, contemplatio, quid denique fiat cum hoc muſculo, ſi uterus vacuus eſt, an collabaſcat et turgente utero extendatur, an ſingulis grauiditatis vicibus regeneretur. Facile tamen patior ſuo quemque abundare ingenio, ſane, quodſi niſi expellente muſculo nunquam prodire deberent ſecundinae, raro abſceſſuras eſſe arbitror, neque ſecurum facere debet lubrica iſthaec obſeruatio obſtetricantem, ut otioſus expectando muſculi effectum aſſideat, quin potius eo nauanda opera omnis eſt, ut, quam fortiter etiam adhaereat ſecundina, eius extractio inſtituatur quantocyus, quo in negotio ſuae, quidquid in contrarium ab aliis monitum fuerit, dexteritati fidere unumquemque decet; Magna ſane uſus eſt felicitate paucioribus in prolixa praxi verſantibus ſolenni, muſculi inuentor, quod per quinquaginta annos, prout de ſe praedicat, nulla ipſi in utero relicta fuerit ſecundina, nullaque, indulgendo et expectando, puerpera ad orci fauces fuerit deducta.

§. XIV.

De non differenda Secundinarum adhaerentium extractione in grauidis ante terminum.

Boni viri eſt ſalutem humanam fortuito caſui non relinquere, ſed periclitantem, qua fieri poteſt, breuiſſima via, diſcrimine educere, inde, dum adhaerentes ſecundinae ſpontaneo naturae motu vix excludi poſſunt, iudico, coniunctas obſtetricantis vires cum uteri conatu eſſe neceſſarias. Formandus eſt controuerſiae, quam hac potiſſimum in diſſertatione urgeo, ſtatus, inquo totius diſputationis cardo vertatur. Remoueamus primo leuiores adhaerentiae gradus, in quibus expectandum eſſe, nec ipſe RUY-

SCHIVS ſecundum ſuperius allegata verba aſſerit. Ponamus potius ſummum adeſſe adhaeſionis gradum, adnaſcentiam, coalitum, mutuam fibrarum placentae atque uteri inſertionem: In hoc diſſentimus. Nam quodſi ille ſtatus detur, quem inuincibilem fere perſentiſcit manus, quodſi ſic cohaereat placenta, ut metus ſit, ne, dum ſeparare ſtudemus, in fruſta diſcerpatur, in hac rerum facie expectandum potius, quam incerto euentu tentandum eſſe, ſtatuit Cl. RUYSCH. nos contrarium defendimus, firmiter perſuaſi, nullum eſſe adhaerentiae gradum, qui non ſuperari prouida et in enchyreſi experta manu poſſit, nec indulgendum eſſe morae, niſi unico in caſu, ubi conuulſiui motus et uterum et totum corpus inuadunt, quando ſcilicet ob matricis miram contorſionem et incertas manus operationes iactitatione corporis puerperae factas, nihil omnino tentari poteſt, ſicut id ipſum ſymptoma placentae adhaerenti iunctum, pro lethali plerumque ipſe Clar. RUYSCH. d) habet. Facile enim in partes ſaepius laudati auctoris abeo, quotiescunque monet, extractionem fieri debere abſque violentia, non feſtinanter extrahendam ſecundinam eſſe. e) Acrius iuſto contra magni nominis virum diſputauit CHRISTIANVS POLYCARPVS LEPORINVS, f) inuſculi huius veritatem et expectandae ſpontaneae ſecundinarum excretionis opinionem fortiter oppugnans, quem miratus ſum, ſuam experientiam nullibi RUYSCHIANAE quinquaginta annorum experientiae oppoſuiſſe: Intellexi vero paulo poſt ex illis, quae habentur operis ſui p. 133. *apud ſe non moris eſſe ut medici parturientibus opem ferant.*

Duplex

d) Aduerſar. Anatom. Dec. 2. p. 30. 31.

e) l. iam cit.

f) *Kurtze doch gründliche Erörterung einiger die zurück gebliebene Nach-Geburth betreffende Fragen, Leipz. und Quedlinb.* 1728. 4to.

Duplex autem exiſtit extrahendarum ſine mora placentarum caſus, alter in grauidis, quae ante terminum ex ſtatu praeternaturali ad pariendi neceſſitatem adiguntur, alter in grauidis, quae terminum attigerunt. Magni momenti, magnaeque deliberationis mihi ſemper viſa eſt prior quaeſtio, quid faciendum ſit practico, quotieſcunque enormes haemorrhagiae prioribus ultimisue geſtationis menſibus in manifeſtum vitae diſcrimen matrem adducunt, id quod ex ſanguinis effluentis quantitate, ſymptomatumque, lypothymiae aeque, ac conuulſionis, conditione, facile iudicari poteſt. Haec quaeſtio denuo duplicem admittit differentiam; aut vitalis eſt foetus g) id eſt ſeptimeſtris et ultra, aut omni ſpe vitae in athmoſphaera continuandae priuatus. Ante medium geſtationis tempus abortus haud raro imminent, alii termino propiores fiunt. Ponamus caſus utriusque naturae vel utrinque mixtos, quod determinatu arduum eſt: quaeritur, quid hinc, quid illinc faciendum ſit. Res tota ad obſtetricantis de ſtatu embryonis matrisue plenariam cognitionem redit: ego hac in re, non quid mihi, ſed quid aliis me peritioribus videatur, exponam. Cl. MAVRICEAV h) non dubitat embryones, quo ſalua mater eſſe poſſit, educere, quidquid de vita eorum paulo poſt ſtatui poſſit, idemque de la

MOTTE

g) Totam controuerſiam de ſeptimeſtri vitali ſextimeſtri non vitali ſua et auctorum fide accurate euoluit PAVL. ZACCHIAS Quaeſtion. Med. Legal. Francof. ad Moen. 1688. Fol. Lib. 1. Tit. 2. Quaeſt. 2. et 3. pag. 54.

h) François MAVRICEAU Obſeruations ſur la Groſſeſſe et l'accouchement des femmes, Paris 1715. 4to. Caſus huc ſpectantes adduci poſſunt ex titulo ei. Auct. Accouchemens ou l'arriere faix ſe preſentoit devant l'enfant, et titulo: perte de ſang de la femme groſſe.

MOTTE i) qui ad liberandam a periculo matrem neceſſarium eſſe aſſerit, ut obſtetricans iam remotam ex parte ſede ſua ſecundinam poſt factam extractionem foetus propediem ſeparet, quae quamuis minus reſiſtat, alia tamen quam adhaerens eſſe nequit, utpote quae extra maturitatis terminum verſetur. Suffraganeum habent praedicti auctores DIONIS k) aſſerentem, etiam ſi ad partum diſpoſita non fuerit mater, haemorrhagia urgente et periculum vitae minitante, obſtetricantis manu promouendum eſſe partum, qui actus ſcilicet in placentulae vel maioris vel minoris ſeparatione eiusdemque poſt foetum extractione conſiſtit. Mirum quibusdam videri poterat, qua ratione paruuli etiam foetus, paucarum ſeptimanarum aetatem attingentis placentulae aeque grauia, ac ſi adultiores eſſent, ſymptomata, imminente abortu excitare poſſint, verum declarata res eſt, matres periclitari hoc rerum ſtatu. Teſtis inter alios ſit AMAND l) qui quinque hebdomadum foetum ſeminis phaſeoli magnitudinem aequantem, ſecundinis ſuis adhuc incluſum ea propter utero educere coactus fuit, quia haemorrhagiae matrem affligentis enormitas eundem, quo id ageret, impulerat. Quodſi ſint, quibus durum videatur, imperfectum foetum ſic vita priuare, quo mater ſalua eſſe poſſit, multo magis ſi grandior ſit et termino propior embryo, eundem remittimus ad magnae auctoritatis virum, IOHANNEM BOHNIVM; m) in diſſertatione, de abortu ſalutari, qui, ſicut de tota materia ex rei dignitate egit, ſic praeſentem quaeſtionem, decidendo, debere ſalutem matris primariam curam eſſe, definiuit.

§. XV.

i) l. c. Liu. 3. c. 6. p. 346.
k) l. c. Liu. 2. c. 13. p. 170.
l) l. c. obſ. 9. p. 94.
m) Reſpond. Georg. Chriſtian. *Werther*, Lipſ. 1701. §. XXV. p. 23.

§. XV

De non differenda Secundinarum adhaerentium extractione in termino.

Propius accedendum eſt ad ea, quae neruum praeſentis diſſertationis attingunt, ad illam ſcilicet quaeſtionem quae de non differenda foetus maturi placentae extractione inſtituitur. Iam alibi mentem noſtram expoſuimus: omnis morae impatientes eſſe ſecundinas, nec expectandos eſſe ſpontaneos naturae conatus: nunc aſſertionis rationes exhibendae veniunt, quarum plures ſuperius allegatus LEPORINVS adduxit, grauitatem ſcilicet ſymptomatum, quae preſſo pede ſequuntur, ſi paulo poſt foetum ſecundina non exeat, cuius rei veritati non tantum allegata ibi auctorum teſtimonia n) ſed et quotidiana experientia ſubſcribit. His addere animus eſt quaedam aliorum obſeruata. Peculiaria ſunt, quae de inflammatione ſecundinarum habet VARANDAEVS, o) quam proprie ſic appellari poſſe, negauimus in ſuperioribus, niſi fortaſſe peculiarem quempiam ſanguinis circulum in fibris ſecundinarum motricibus prout Cl. RUYSCHIVS p) habet, ſtatuere velis, quam hypotheſin aſſumere neceſſarium eſſet, ſi quis motum ſecundinae proprium pro ſui ab utero ſeparatione ſupponere vellet. Interim tamen qui ex putredine ſecundinarum ad matrem lege vaſorum abſorbentium q) redundant affectus, *nauſea, lipothymia, diſpnoea, ſudor diaphoreticus, frigiditas extremorum, hyſterica ſuffocatio, epilepticus inſultus*, recenſente praemora-

n) l. c. p. 55. 69. ſequ. o) l. c. Lib. 2. c. 11. p. 342. 343.

p) Aduerſar. Anatom. Dec. 3. p. 35.

q) Sicut vaſa abſorbentia in cute adeſſe demonſtrauit Cl. BOERHAVIVS Inſtit. med. §. 421. p. 402. prout eadem in ore, oeſophago, ventriculo praeſto eſſe iudicat §. 87. No. 5. p. 46. ita ſimilia forte et in uteri cauo reperiuntur.

morato VARANDAEO r) ſequuntur, extra omnem dubitationis aleam poſiti ſunt. Addit *dolores poſt partum, alui obſtructionem, urinae incontinentiam et ſuppreſſionem, haemorrhoides, genitalium ſcabiem, pruritum, rupturam uteri, vulnera, ulcera* HERMANNVS CORBAEVS. s) Horrenda eademque lethalia haec eſſe ſymptomata, ſi diu in utero relinquantur, et non minora, quam quae ex foetu mortuo fiunt, iudicat hic ipſe auctor. t) Cor et cerebrum in conſenſum trahi autumat AMBROSIVS PARAEVS, u) diſpoſitionem malignam patienti accidere propter vapores malos aſcendentes ex ſecundina ad cerebrum, cor, ſtomachum, pro ſuo ingenio allegat AVICENNA. x) Vomitiones bilioſas reiteratas, humore nigro foetidoque ſtipatas inter funeſta ſymptomata habet de la MOTTE, y) utpote, quo ſphacelum ex uteri ſubſtantia ad inteſtinorum canalem migraſſe cognoſcimus. Neque uno alteroue poſt die, ſed immediate ſubſequi hoc malum innuit praedictus auctor hoc ipſo loco, quandoquidem in celeri ſeparatione ſecundinarum adhuc aliquam ſpem ſalutis autumat ſupereſſe. Febrem violentam, graues capitis dolores, oſcitationes, ſyncopes, humorum foetidiſſimorum effluentiam ſequi, auctor eſt AMAND, z) quae omnia ſicut contra expectationis patronos militant, ſic verbis PEV: a) *imperant, ut ob ſequelas, moram diuturniorem ſecundinarum excipientes et periculoſiſſimas, promptitudine opus ſit, ſiquidem nec cito nimium, nec caute nimium*

illae

r) l. iam c. p. 343.

s) Gynaeceium, Francof. 1620. 8uo Lib. 2. c. 6. p. 271.

t) l. iam c. p. 272.

u) de hominis generat. c. 18. apud ISRAEL. SPACHIVM p. 413.

x) Lib. 3. Fen. 21. Tract. 2. c. 16. p. 720.

y) l. c. Liu. 4. c. 13. Obſeru. 346. p. 656.

z) l. c. obſeru. 31. p. 138.

a) l. c. liu. 2. c. 15. p. 494. 495.

illae extrahi poſſint. Non differendam ſecundinarum extractionem conſulit ulterius praeter allegata mala, preſſo poſt exclusum foetum pede ſubſequens uteri contractio, orificii uterini interni ſtrictura, et inde orta vel manus immittendae difficultas, vel loculi talis, b) qualem alibi deſcripſimus circa ſecundinam efformatio. Supponamus omnia mitiora, ſit nobis placenta ad mentem RUYSCHII morae patiens, ſi ſalus etiam puerperae nullo modo periclitaretur, commoditati tamen matris et breuitati laborum aliquid concedendum eſt, nec video, cur in craſtinum differendum ſit, quod hodie et in inſtanti quidem, quamuis cum aliqua difficultate, fieri debebat. Τὸ μηδὲν ἀναβαλλόμενον, ſi ullibi in re medica, hoc ſane in paſſu laudes ſuas meretur.

§. XVI.

De prudentia obſtetricantis in adminiſtranda ſecundinarum adhaerentium extractione.

Lenta remedia et ſegnes medicos non expetunt tempora mea, dixiſſe Alexandrum Magnum cum morbi medicinam poſtularet, ſeque non praeceps, ſed ſtrenuum remedium afferre praedixiſſe Philippum medicum, ex Q. CVRTIO c) perſpicimus: id ipſum, quo fiat, in ſecundina tenacius adhaerente, utpote de qua vita et mors puerperae dependet, maxime opus eſt, id quod nobis exponendum ſupererit. Coniunctiſſimam cum celeritate expeditionis, actionis prudentiam et circumſpectionem, ſicut in omni humana vita, ſic et in ancipiti hoc adminiſtrationis genere requiri, autumamus. Videamus ante omnia, quae antiquorum placita hoc de negotio exiſtant. ARISTOTELES d) funiculi umbilicalis deligationem, antequam ſe-

F 2 cundi-

b) ibid. l. c. p. 494. c) Lib. 4. c. 5. et 6.
d) Hiſtor. animal. Lib. 7. c. 10. Edit. Pariſ. 1619. Fol. p. 895.

cundinae remoueantur, ſuadet, ſine dubio quod haemorrhagia per chordam umbilicalem facta conſumi poſſe puerperas eo tempore crederetur. Pro expectantium, donec ſponte exeant, ſententia fuiſſe Hippocratem in ſuperioribus demonſtratum fuit, nec alia apud eundem adhaerentis ſecundinae curatio, quam, quae putrefactione fit, inuenitur. e) Rectius et appoſite magis AEGINETA, f) itidemque AETIVS g) ſentiunt pro extractione adornanda *leniter primum, deinde magis intenſe, cauendo uteri prolapſum*, attrahendum eſſe. Singularem quempiam antiquorum morem exponit AVICENNA. h) *Antiqui praecipiunt obſtetrici, ut inuolueret manum ſuam in panno et intromitteret eam et arriperet ſecundinam.* Crudelius paulo ſecundum MOSCHIONEM i) cum puerperis, quibus affixa erat placenta, egerunt, qui a ſcala ſuſpendendam eſſe, et quo exiret placenta, concutiendam ſuadebant, quo referente pondera etiam quaepiam appenſa fuerunt funiculo pro eodem inſimul cum ſecundina deprimendo. k) Mitius paulo agimus cum noſtris, et ſi dicendum quod res eſt, non extrahimus ſecundinam adhaerentem, ſi ſcilicet umbilicalis chorda metum iniicit, ne in radice dehiſcat, ſed admota propius manu eandem deglubendo ſeparamus; quae enchyreſis, quamuis omnium mitiſſima ſit, ſuis tamen cautelis indiget. Merentur apponi, quae apud PEV l) lego: *dexteritate ad ſeparandam, ſi adhaeſerit ſecundina, patientia ad placide agendum, ſi nimi-*

e) HIPPOCRAT. de morb. mul. Lib. 1. Sect. 77. Edit. Linden. Tom. 2. p. 463.
f) l. c. Lib. 6. c. 75. p. 634.
g) Tetrabibl. 4. Serm. 4. c. 24. ext. in HENR. STEPHANI Med. Art. Princ. T. 2. p. 791.
h) Lib. 3. Fen. 21. Tract. 2. c. 16. p. 720.
i) c. 54. apud ISRAEL. SPACH. p. 5.
k) ibid. l) Liu. 2. c. 15. p. 494.

nimium adhaeſerit, ingenio ad dignoſcendos placentae ſtatus, promptitudine ad tempus lucrandum, experientia ad definiendos, qui regulis carent, caſus, opus eſt; hiſce ſane in verbis totius negotii compendium continetur, poſſentque eadem pro mente noſtra explicanda ſufficere, niſi ſpecialiora quaedam, enchyreſes ipſas concernentia, exponenda ſupereſſent. Taxandi ante omnia ſunt obſtetricum quidam errores, quos in ſeparatione legitime inſtituenda committunt. Reſectionem unguium ſana ratio neceſſariam eſſe imperat; inde condonandum non eſt LUDOVICO MERCATO, m) quod unguium quendam uſum in hac operatione faciat, inquiens: *ſi vero tenaciter adhaeret ſecundina, ut unguibus extrahi non poſſit, immitti debent medicamenta.* Metus ſane manifeſtus ſubeſt, ne armati unguibus digiti teneram uteri ſubſtantiam laedant, excorticent, et in inflammationis periculum adducant, quamuis id impune fieri ſtatuat PAVL. PORTALIVS, n) quo ipſo obſtetricibus etiam dicta ſunt, quae OVIDIVS habet:

Et nihil emineant, et ſint ſine ſordibus ungues. o)

Grauius errant et negligentiae culpam ferunt, ſi utero ſua ſponte poſt exitum foetus collabaſcenti tantam concedunt moram, ut eius orificium internum claudatur; inde ſaepius laudatus PEU p) in inſtanti immittendam manum, nec retrahendam imperat, donec vel integram ſeparatam ſenſerit ſecundinam vel donec certa ſit obſtetrix, perueſtigato ſolerter et perquiſito utero, nihil fragmentorum ſupereſſe, etiamſi mala fortuna in partes diſceſſerit. Hunc errorem ſic declarat CORNEL. SOLINGEN, q) optandum eſſet, omnes obſtetrices pruden-

m) de mulier. affection. l. IV. c. 4. ext. apud ISRAEL. SPACH. p. 1059. B.
n) l. c. obſeru. 78. p. 336. o) OVID. art. amator. Lib. I. v. 519.
p) l. c. c. 15. p. 495. q) Embryulc. c. 34. p. 165.

tia et ſcientia eſſe inſtructas ad extrahendas manu, priusquam ſe uterus conſtringat, ſecundinas. Alium iam ſuo tempore agnouit errorem in adminiſtranda ſecundinarum extractione commiſſum et ſedulo euitandum, AVICENNA r) inquiens, *oportet ut trahatur non ſecundum rectitudinem, quoniam timemus inde conuerſionem matricis neque attractione vehementi.* Aliis ſolenne eſt harpyiarum more, quo termino de obſtetricibus mali moris utitur KERCKRINGIVS, s) unguibus et digitorum apicibus inuolare in adhaerentem ſecundinam, eandemque contra doctrinam a magiſtris acceptam terebrando pertundere. Licere id ipſis liberalius nimis aſſeruit Cl. RUYSCHIVS, t) figuram etiam adiiciens, qua methodus rumpendi adhaerentem placentam, docetur. u) Alii manus vola et digitorum apicibus circumferentiae ſecundinarum accommodatis carptim placentam vellicant, cuius methodi itidem non leuis famae virum IOHANN. de MVRALTO x) anteſignanum habent, qui arreptam ſecundinam globi in modum compreſſam, educere ſuadet. Plurimas vexat impatientia, ut prompte negotium expedire velint, maxime ſi pauperioribus aſſiſtentes euocantur ad alias, maioris lucri fiducia, quo fit, ut debitam prudentiam et in ferendo labore conſtantiam negligant. Conqueritur hac de re ZACVTVS LVSITANVS. y) *Si vero mors contingat aliquando, ea temeritati obſtetricum et audaciae imponenda eſt, hae cum manum in os vuluae coniiciunt, tam violenter hoc opus exercent, ut uterum dilanient, ulceribus et inflammatione afficiant, ex quibus mortem ſubſequi poſſe, nemo dubitat.* Quos errores cum aliis ab

r) Lib. 3. Fen. 21. Tract. 2. c. 16. p. 720. s) Obſeru. Anat. obſ. 36. p. 79.
t) Obſ. Anat. chirurg. obſ. 97. p. 124. u) Catalog. Rarior. Fig. 1. p. 45.
x) Miſcellan. Nat. Cur. Dec. 2. An. 5. obſ. 35. p. 63.
y) Prax. hiſtor. Lib. 3. c. 19. p. 522. Op. Tom. 2.

ab obſtetricibus poſt partum commiſſis erudite taxat, Beat. Amicus CASPAR BOSE, in diſſertatione de obſtetricum erroribus, a medico Clinico perueſtigandis. z) Feliciter rem ad optatum finem perducere poterunt, ſi, quae nunc breuibus recenſenda veniunt, obſeruare voluerint. Separatio ſecundinarum, quemcunque adhaeſionis gradum habuerint, incipienda venit ab uno alteroue circumferentiae, ubi illae cum utero cohaerent, loco, definiri ille equidem ob circumſtantiarum varietatem non poteſt, certum tamen eſt, laborum initium faciendum eſſe illa in parte, ubi fortaſſe iam paululum dehiſcit placenta. Si uniformis illa ſit, nulla adhuc in regione ſeparari incipiens, perinde erit, quo in latere negotium aggrediaris. Conſultius tamen agunt, qui ab inferiori loco ſuperiora verſus manum dirigunt, quam, qui a ſummo uteri loco deorſum manum adigunt, hinc enim ungues quamuis reſciſſi, ſubſtantiam uteri, illinc vero, conuexitatem ſecundinae reſpiciunt, adeoque hic aliquod, illic nullum uteri laedendi periculum ſubeſt, maxime ſi manus probe inuncta fuerit. Totam enchyreſin verbis HIERONYMI FABRICII ab Aquapendente a) apponere liceat. *Dextra manu inuncta intusque uterum miſſa, quod tunc, cum omnia patefacta ſunt, non eſt difficile, ſecundas extraxi, ubi enim manu ad fundum uteri perueni, ſtatim digitis inter placentam et uteri tunicam interpoſitis, ſic eam unguibus parumper circumciſis et retuſis, et ſummis digitis ab utero totam ſeparaui et extraxi cum felici ſucceſſu.* Id ſcilicet intendit auctor, ut digitorum apices ab uteri membrana tantisper remotos habeat atque concaua et ſemicirculum deſcribens manus inter operandum teneatur. Arbitrarius au-

tem

z) Praeſ. D. AVG. FRID. WALTHERO, Patrono et Fautore meo maxime colendo, Lipſ. 1729. §. 3.

a) Chirurg. Oper. Ven. 1619. Fol. p. 100. Conf. DIONIS l. c. liu. 3. c. 6. p. 227.

tem manuum pro negotio perficiendo eſt ſelectus, ſiniſtra uſus eſt NICOLAVS ROCHAEVS. b) Haec cautela ſicut non parui momenti eſt, ita altera adduci meretur, non ignobilior, de cauendo membranarum ex ſecundinis propendentium impedimento; fieri ſcilicet haud raro ſolet, ut chorion aeque ac amnios manui oberrantes, eandem ſic turbent, ut, niſi antea ſeſe extricauerit, ſeparationem continuare haud poſſit. Ubi ſemel tantillum ſpatii lucratus fueris, pro digito uno poſt alterum ſubter placentam adigendo, non adeo praecipiti progrediendum eſt ſaltu, ſed modeſtam decet eſſe operationem, ne canis feſtinans coecos pariat catulos. Methodum qua manus urgeri debeat inter ſeparandum, ſic exponit Celeb. AMAND. c) Digitos inter membranam internam uteri et ſecundinam medio loco ponere annitor, inde paulatim paulatimque, donec totam ſeparauerim, progredior, cauendo ne uteri ſubſtantiam laedam. Ponamus etiam aliquo hinc inde in loco fortius radicatam eſſe placentae ſubſtantiam, dubium ſane non eſt, artificioſa manus directione et molli impulſu hos etiam nodos reſolutum iri. Quod fortunae loco eſſe reputo, nullas habui hactenus, quamuis tenaciter ſatis adhaerentes, placentas, quas non obſequentes reddiderim et patientia laborisque conſtantia ſuperauerim. Quodſi tamen fuerunt ex infelicioribus, quae ſecundina nondum educta vita exceſſerunt, has clauſura magis uteri interni ſpasmodica et conuulſiua, adeoque adynamia curandi, quam adhaeſionis culpa periiſſe deprehendi. Quo quidem in caſu, ſi digiti obſtetricantis pro aperienda via non ſufficiunt, nec ſpeculum uteri, horrendum viſu inſtrumentum, quidpiam proderit, quod laudatum deprehendo a ZACUTO LUSITANO d) et HARVAEO

b) de morb. mulier. curand. c.30. apud ISRAEL. SPACH. p. 107.
c) l. c. obſeru. 117. p. 360. d) l. c. Lib. 3. c. 19. p. 523.

VAEO e) RUEFFO que. f) Plura antiquorum inſtrumenta pro aperienda matrice extant apud ALBUCASIN g). Neque vero ſaltem uteri clauſura, quo minus adhaerens ſecundina ſeparari poſſit, impedire ſolet, verum etiam in ipſo utero efformatus, quem ſupra deſcripſimus, loculus, ſi adſit, probe perueſtigandus immiſſo uno poſt alterum digito, molliterque terebrando aperiendus eſt et reſerandus, donec manus integra inſerta fuerit, et ea omnia paulo poſt perficienda, quae ſeparationem ſpectant. Quamuis autem ſalus puerperae maximam partem tunc in exercitata obſtetricantis manu collocata ſit, non tamen omnino nihil officii hic vel puerpera vel adſtantes praeſtant. Parum equidem auxilii ſibi adfert puerpera, ſi ad conſilia anicularum, prout recenſet PEV, h) pro adiuuanda adhaerentis ſecundinae ſeparatione, flatum manibus iunctis immittendo, ſeſe exerceat, digitum faucibus pro excitando vomitu intrudat, ſternutatoriis diaphragmatis motum excitet. Nam oriri quidem exinde ſalutares quospiam pro extrahenda naturaliter obfirmata ſecundina motus in utero arbitror, verum, quae fortius radicata contactui manus expertae reſiſtit, quomodo concuſſionibus ex longinquo allatis poſſit dimoueri, non video. Unicum eſt beneficiorum genus, quo operantem ſeque obſtringere poſſunt puerperae, ſi morigeras ſeſe praebeant, et impatientia aut iactitatione opus per ſe dolorificum non interrumpant. Exemplum eiusmodi foeminae extractionem ſecundinae ſua ferocia impedientis, nec leue hoc ipſo propriae ſuae vitae periculum ſtruentis, habetur apud de la MOTTE. i) Non omnino tamen nihil adſtantes contribuunt. Quodſi enim inconſtans ſit uterus, et hinc inde in pelui fluctuet, vel ſuperiora verſus tendat eius fundus et enchyreſes hoc ipſo difficiliores efficiat, opus eſt, ut ex adſtantibus una vel altera foeminarum abdomen leniter comprimendo, ſtabilem

e) Exercit. de Partu p. 275. f) l. c. Lib. 3. c. 6. p. 29. 30. c. fig. ibi ext. g) c. 77. apud ISRAEL SPACH. p. 445. 446. h) l. c. Liu. 2. c. 15. p. 507. i) l. c. Liu. V. c. 2. obſeru. 389. p. 742. 743.

em efficiat uterum, id quod ipſe obſtetricans, alteram manum abdomini imponens, alteram utero inſertam tenens pro rei neceſſitate melius et fini ſuo conuenientius poterit exequi.

§. XVII.

De remediis quibusdam ad dimouendam ſecundinam facere viſis.

Magnopere deſudauit antiquorum aeque ac recentiorum induſtria in detegendis et comprobandis variis remediis, quibus ſecundina moram nectens, ſine manus miniſterio expelli poſſit. Quamuis non poſſim non fateri, lubricam omnino imo fere nullam auxilii fiduciam in ſpecificis ſecundinas pellentibus eſſe, ne tamen aliquid omiſiſſe videar eorum, quae huc ſpectare poterant, aliquid ex omnibus addam. Suadentur externa quaedam remedia abdomini applicanda pro ſecundina ex ſede ſua dimouenda. Frictionem loci vel lateris, ubi ſecundina haeret, factamque inferiora verſus preſſionem conſulit SOLINGEN k) Actu frigida imponuntur abdomini ab aliis. Guttas aquae frigidae umbilico inſtillant quidam inſcia nec praemonita matre, quo, terrore eidem incuſſo, ſalutaris quidpiam efficiant, l) quem morem fortiter improbat et ſiniſtrum rerum euentum inde narrat VITVS RIEDLINVS. m) Emplaſtrum pro expellenda ſecundina ex vino oleo et melle habetur apud LOUYSE BOURGEOISE. n) Ad externa referre adhuc liceat, quae ſub forma clyſmatis uterini pro vertenda in ſuppurationem ſecundina iniecta fuerunt, qualia habentur apud EUCHARIUM RHODIONEM o) ad mentem AVICENNAE, p) qui unguento baſiliconis hunc in finem uſus eſt. Taxat tamen et merito quidem PORTALIVS. q) Viardelium, quod inunctionibus pro humectando et lubricando utero, manu peractis auxi-

k) Embryul. c. 34. p. 171. l) PEV l. c. Liu. 2. c. 15. p. 508.
m) Lin. med. an. 1696. Aug. Vindel. p. 54.
n) Recueil de Secrets. Par. 12. 1710. p. 102.
o) l. c. c. 6. p. 24. p) Lib. 3. Fen. 21. Tract. 2. c. 16. p. 720.
q) l. c. obſeru. 53. p. 244.

auxilium adferre ſecundinis adhaerentibus voluerit, probe monens non remediis ſed manibus eſſe fidendum. Placebant antiquis ſuffumigia aromatica, quae ſupponebantur mulieribus, ſic enim AETIVS: r) *Si nec tunc decidit ſecunda, odoramenta afferantur conuenientia, cardamomum, bdellium, ſabina, thymus ſtyrax, aliaque.* De peſſariis, fotubus, ſuffitubus aliisque antiquitus uſurpatis legi poteſt HERMANNVS CORBAEVS s) et IACOB. RVEFF. t) Non defuerunt ex recentioribus, qui prolixiſſimos remediorum ſpecificorum ſecundinas pellentium catalogos adornauerunt, inter quos ſupra allegatus LEPORINVS non ultimum occupat locum, qui, cum non leuem ex fortiter oppugnato RVYSCHIO gloriam retuliſſe videretur, hoc unico cenſuram publici meruit, quod HELMONTIANAM de hepate anguillae u) ſecundinas depellente fabulam nimia credulitate agnouerit. Idem iudicium eſto de infinitis aliis ridiculis magis, quam utilibus, ramentis ungulae aſininae, ſpolio ſerpentis, fimo equino, chamaeleontis lingua, membrana e canum ſecundis, capite caponis, aliisque quamplurimis, quae paſſim apud auctores habentur. Specificorum ſecundas pellentium prolixum catalogum vide apud HIPPOCRATEM. x) Anodyna et ſtupefactiua, hyoſcyamum ſcilicet, mandragoram, formulae ſuae pro pellendis ſecundis immiſcet GALENVS. y) ATHENAEVS z) athenienſibus itidemque Hippocrates a) ſuis puerperis braſſicam veluti idoneum remedium in ſimili caſu propinauerunt. Ex recentioribus remedia ad putredinem ſecundinae promouendam praeſcribit MAVRICEAV, b) clyſteres emollientes, antifebrilia, cum diaeta rite compoſita in auxilium vo-

r) Tetrabibl. 4. Serm. 4. c. 24. l. c. p. 791. s) l. c. Lib. 2. c. 6. p. 274. ſequ.
t) l. c. Lib. 3. c. 4. p. 25. b. u) l. c. p. 113.
x) de morb. mul. Lib. 1. Sect. 74. Ed. Lind. Tom. 2. p. 467. et Sect. 106. ib. p. 497.
y) de compoſit. pharmacor. Lib. 7. Op. Edit. Froben. Claſſ. 5. p. 373.
z) Deipnoſophia l. IX. p. 370. Lugd. 1512. Fol.
a) de morb. mul. Lib. 1. Sect. 74. Edit. Lind. T. 2. p. 461.
b) l. c. liu. 2. c. 9. p. 254.

cans. De plurimis iſtorum remediorum, quae paſſim commendantur et a quibus ſuperſtitioſiores non ignobiles effectus promittunt, valent, quae habentur apud PLINIVM: c) *Oſtentatio artis et portentoſa ſcientiae venditatio manifeſta eſt, quam ne ipſi quidem nouere.* Quodſi tamen non inopem relinquere et omni medicina orbatam puerperam velimus, ſymptomata potius, quam ipſum morbum ex quibusdam remediorum virtutibus leuamen ſperare poſſe exiſtimo. Non inanis erit in analepticis, antiſpaſmodicis, lenioribus diapnoicis, anodynis, fiducia, quo motus inordinati uterum inuadentes ipſamque turbantes operationem componi poſſint. Febricula, quae, uti ſolet, per ſe puerperam affligit, intenſior facta, quando lochia conſuetam viam ire nequeunt, etiamſi pauculis ſaltem horis adhaeſio perduret, tanti momenti eſt, ut intacta relinqui non poſſit, multo maius ſi acutior iſta fiat, inflammatoria, deliriis haud raro iuncta, quo tempore, quamuis omnia ſiniſtrum euentum innuere videantur, non tamen derelinquenda eſt puerpera, quaſi conclamata eſſet humanae vitae ſalus, quin potius temperantibus terreis, lenioribus bezoardicis et paregoricis id agendum, ne, quantum in nobis eſt, in ſphacelum praeceps uterus ruat.

c) Hiſt. natural. Lib. 29. c. 1. Edit. in uſum delphini, Pariſ. 1723. Tom. 2. p. 479.

